



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Dispvatio XIII. De Vitiis Oppositis Charitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

hic spectan-
da & for-
vanda.

à Domino praescriptus negligentia nullum inde contrahitur peccatum: quia in hoc Domini praecipit, sicut & in aliis plerisque, magis attendenda est Domini intentio, quam verba: intentio autem eius hoc loco est, studiosè tentandum omnibus modis, ut vel frater peccans resipiscat, vel si id impetrari non potest, alii à contagio ipsius praeserventur. Quod si vel pro altero, vel pro utroque horum, aliquid secus fieri conveniat, quam à Domino praescriptum est, id ex mente Domini fieri debet; qui quo nobis conservanda proposuit, conscientiam fratris, & famam: si utrumque conservari potest, optimè agetur, si non, semper conscientia famae est praeservenda. Ita compunitur Doctores.

Notat autem Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 2. g. 1. append. de Corrupt. Fraternali Reg. 1. quòd dum omiſſa ſecreta monitione deſertur caula à ſubdito ad ſuperiorem tamquã patrem, hic debeat primò adhibere privatam monitionem, veluti ſuccedens in locum & officium fratris, prout etiam primo loco facere deberet, ſi ipſe Superior ſcus delictum fratris noviſſet. Quare etiam nequit exinde non convictum juridicè condemnare, poteſt tamen reò invigilare, & perſeverantiam in malo juridicè detegere ac punire. An autem poſſit peccatum priùs deſerri ſuperiori, non quidem ut iudici, ſed ut amico & patri à quo ſecretò moneatur, quam teſtibus ſeu amicis coram quibus moneatur, variant Doctores, pendentque à variis circumſtantiis tum perſonae peccantis, tum ſuperioris, ratione quarum poteſt nunc hoc, nunc illud eſſe magis conſonum charitati, ut pròinde non poſſit ſtatui una regula pro omnibus caſibus, ſed eligendum ſit, quod magis expedire videbitur charitati & bono corripiendi.

94. Quia agendum ſuperiori, dum omiſſa monitione ſecreta peccatum denuntiatur ei ut patri.

An vel quòdo ad eum deſerri poſſit, loco adhibitionis teſtium.

95. Qui in peccato perniciōſi omiſſa ordo praescriptus.

libus) per illam nequeat malum ejuſque periculum certò & ſecurè averti: bonum enim commune & innocentis ceteris paribus praevalet fama nocere cupientis. Aliàs ſi certiffimus moraliter eſſem hæreticum v.g. privatà monitione emendandum, cenſet Wiggers quaſt. 33. art. 7. non habere locum legem denuntiandi illum Inquiſitoribus, quaſi hæc exceptio ex natura rei & lege charitatis intit, etſi non expreſſa, veluti rara.

Unde reprehendit Marchant ſup. poſt Reg. 4. in Corollario velatam, immo abominandam charitatem, quã quis peccata proximi in perniciem patriæ, vel rei publicæ, ſcandalum ſtatùs Eccleſiaſtici vel Religionis vergentia putat poſſe perſidã fidelitate taceri, ne peccantes damnum aliquod corporale aut famae incurrant: certum enim eſt poſſe & debere denuntiari potenti impedire, ſi aliter malum nequeat certò praeveneri, ac ne ulterius ſerpat, impediri.

Hic accedit caſus quo quis rationabili ex caula ceſſit juri ad famam, cujus dominus eſt, contentus, ut ſine praevia monitione fiat denuntiatio Superiori tamquam patri, ad majorem cautelam ſpiritualem praesertim, & animi humiliatorem. Quod quidem poteſt laudabiliter aliquando fieri. Immo id generaliter fieri à Religioſis Societatis Jeſu contendit Comnck d. 28. dub. 12. meritò videndus, & reliqui Scriptores Societatis: quamvis poſt Lorca non conſentiat Poncius, qui contendit 3. diſt. 30. in Comment. num. 72. & ſeq. talem regulam in Conſtitutionibus Societatis non extare. Praedicta verò juris ceſſio, etſi indefinitè ſeu univerſaliter facta, juxta Caſtro Palao d. 3. p. 9. num. 3. fieri intelligenda eſt ſervato ſine praecepto fraternae correctionis, qui eſt correctio & emendatio delicti, quem ſinem ſi certum ſit per Praelatum non eſſe obtinendum ita bene ac per inferiorem, vel de illo dubium eſt (quòd juxta ipſum raro contingere poteſt, praesertim in Societate) nequaquam tunc cenſetur quis cedere juri conservandae famae. Ita ille.

Vicioſa occultatio charitate palliata rearguitur.

96. An exceſſus rationabilis ceſſio juris ad famam ab ordine correptionis.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

De Vitis Oppositis Charitati.

QUESTIO I.

De Odio.



DIUM eſt quaedam alienatio ſeu averſio voluntatis ab aliquo, quod apprehenditur ut malum. Soletque dividi in odium abominationis, & inimicitiae:

Herinc Sum. Theol. Pars III.

etſi non omnes conveniant in modo explicandi; in quo ſanè non alia, quam de nomine, poteſt eſſe controverſia. Odium itaque abominationis frequenter hoc ſimiliter modo explicatur, ut ſit averſio ab aliqua re ſeu perſona, tamquam nobis malã aut contrariã & moleſtã; eſt oppoſitum amori concupiſcentiae. Odium inimicitiae (quod amori benevolentiae oppoſitur) explicari ſolet per deſiderium, quo deſideramus

mus alteri malum, ut ei malè sit; quemadmodum per oppositum amorem desideramus alteri bene esse. Quod quidem desiderium nasci videtur ex aliquo anteriori affectu cujusdam voluntariæ aversionis ab altero, ex quo fit, ut quis nolit inimico bonum, & consequenter velit ei malum, desiderando, sive ut vel bonum prælens amittat, vel futuro careat; sive ut malum prælens teneat, aut futurum accipiat. Unde ulterius nascitur gaudium de malo aut boni carentia, tristitia de bono aut mali carentia. Quæ admodum è converso amor est quoddam vinculum cum re amata (quod odium dirumpit) & ex affectu quo persona placet nascitur desiderium ei bona volendi, & mala tollendi, gaudium de bonis, tristitia de malis.

2. *Creatura potest odisse Deum odio abominationis.*

Utrumque hoc odium reperiri potest in creatura rationali respectu Dei. Quamvis enim Deus sit in se & operibus suis summè bonus & amabilis, citra ullam rationabilem odibilitatem; perversi tamen interdum averlantur & abominantur, cum tamquam sibi malum & contrarium, quatenus videlicet obsistit eorum illicitis voluptatibus & desideriis, ea prohibendo, & pœnas justissimas comminando ac intentando: unde eum tamquam auctorem similium effectuum odio abominationis prosequuntur. Accedit quoque interdum odium inimicitiae, oriundum nõ raro ex priori, quo in Deum tamquam inimicum exardescunt, eumque veluti persequuntur, dum ei malè esse volunt: imò interdum perimere velent si possent, dum peccata quæ operantur, ideo faciunt, quia sunt Deo mala & ingrata, dum gaudent de propriis, & alienis peccatis (quæ etiam procurare student) quatenus Deo mala sunt, dum denique tristantur de eo, quod quidquam gloriæ aut honoris Deo accedat. Quod quidem odium non est æquale in omnibus, sed intensius & extensius in uno, quam in altero. Estque maximum in damnationibus & damnatis. Ut proinde constat satis, etiam ipsam Deum posse terminare iniquum odium creaturæ; et si effectus sint occasio, ex qua solet odium in hominibus contra Deum irrationabiliter excitari, cum nimirum etiam secundum effectus spectatus justissimus & amabilissimus sit. Quia nihilominus odium est desiderium aliquod positivum, necessariò debet pro motivo habere aliquam rationem boni, saltem apprehensi in hoc ipso, quod proximo vel rei odio habitæ malè sit.

Effectus Dei sunt occasio accepta ad elicendum odium ipsius secundum se.

3. *Utrumque Dei odium est gravissimum peccatum.*

Utrumque hoc Dei odium est peccatum gravissimum, ut ratio manifesta cuivis satis obvia ostendit: ideoque Scripturâ graviter infectatur eos, qui oderunt Deum. Immo odium inimicitiae præsertim est ex genere suo gravissimum omnium peccatorum, et si in particulari possit peccatum aliquod reperiri gravius, sive quia præter malitiam odii habet aliam distinctam, sive quia est magis

voluntarium. Ratio est: tum quia nequit assignari aliud æquè aut magis grave, seu tam graviter prohibendum quam odisse eum, qui præ omnibus aliis, cum infinita quidem distantia, est amore dignissimus: tum quia odium directissimè adverteatur divinæ bonitati, nec non perfectissimo habitui & auctui, scilicet amoris, qui est honestissimus: tum quia expressissimè & maximè directè avertit creaturam à Deo ejusque bonitate; alia autem peccata mortalia sunt, quatenus quodammodo de hac aversione participat, cum ratio peccati mortalis consistat in aversione à Deo. Quare nec datur in odio Dei levitas materiæ: sicut etiam peccatum veniale optando ex aversione à Deo, vel ut Deo malè sit, indubiè gravem deordinationem seu mortale peccatum committatur.

Odium inimicitiae est omnium gravissimum.

Odium proximi similiter, aliud est abominationis, aliud inimicitiae. Istud non est semper mortale, quando videlicet non præsupponit aut adjunctum habet affectum negandi aliquod officium ex gravi obligatione debitum, aut inferendi grave nocumentum. Quare cernitur in quibusdã quædam aversio naturalis & abominatio confortii alieni tamquam illis molesti aut ingrati, absque alio pravo affectu, sed potius cum voluntate beneficiendi tempore opportuno. Quin immo odium abominationis frequentè potest esse licitum & sanctum: cuiusmodi erat in Davide Psal. 118. dicente: *Iniquos odio habui.* Meritò enim abominamur seu averlamur malè operantes, eorumque mala commercia devitamus. Tunc tamen odium tendit potissimum in ipsa vitia, seu personam ipsam quatenus vitiis sedatam. Quo modo etiam *Odio sunt Deus impius & impietas eius.* Sap. 14. Aut adeit motivum aliud rationabile, puta ordinatæ charitatis propriæ aut Dei, ob quod periculosa huiusmodi consortia abominemur.

4. *Odium abominationis erga proximum non est semper grave peccatum.*

Immo sepe est bonum.

At odium inimicitiae erga proximum est peccatum mortale, nisi imperfecta deliberatio, aut odii sive mali desiderati levitas excuset. Repugnat enim directè charitati proximi, & continetur gravis deordinatio in hoc, quod quis velit proximo malum præcisè ut ei malè sit, adeoque quamvis inde non aliud bonum seu commodum resulter. Immo est ex genere suo gravissimum peccatorum quæ contra proximum fiunt, quatenus directissimè & generalius voluntatem à proximo avertit (quamvis possint aliqua esse majora ratione nocumenti, puta homicidium & similia) alia enim peccata contra proximum sunt talia, quatenus ab aliqua maligna erga proximum voluntate procedunt, suntque adeò participatum quoddam odium. Quare se habet circa peccata contra proximum, uti odium Dei circa alia peccata commissa contra Deum. Et quidè sicut amor, sic & odium per se loquendo non habet certos limites, adeò ut dum amor est om-

5. *Odium inimicitiae erga proximum non est ex genere suo mortale.*

An gravissimum inter respectiva proximum.

est omnino absolutus, non constringatur ullius boni magnitudine, quod personæ amata, cujus bene esse quaerimus, non optemus; similiter dum est completum odium, non fit malum tantum, quod non desideremus inimico, quale est odium dæmonum respectu Dei, & etiam nostrum, quatenus sumus imago Dei & ad beatitudinem creati.

6. Qui distinguatur ab injustitia interiori.

Distinguitur verò odium ab injustitia interiori, quòd istud ab hac præscindat: qui enim desiderat ex odio alteri mortem, præscindit ab hoc, quòd foret justè vel injustè à se vel ab alio inferenda. Quando tamen desiderium tenderet in mortem à se injustè utique inferendam, præter malitiam odii inest malitia injustitiæ. Unde in effectibus odii externis, seu malis quæ ex odio inferuntur à nobis proximo, frequenter concurrunt alia malitia, præsertim injustitiæ.

Qua scilicet odio adiungitur.

7. An sint odia ejusdem speciei, etsi diversi generis mala proximo desiderentur.

Porro juxta sententiam Cajetani, Valentia, Bonacina & aliorum, & Probabile censet Diana P. 1. Tract. 7. de Circumstantiis Resol. 3. sunt odia ejusdem speciei, considerata quantum formaliter odia sunt, etsi diversissima mala proximo desiderentur, idque ob eandem rationem formalem, quæ est malum proximi ut tale. Ut proinde non sit opus in confessione exprimere, an odium versetur circa divitias, famam vel bona corporis; sed sufficiat dicere, se toties odisse proximum. Nihilominus Suarez d. 6. sect. 2. n. 2. & 3. Sylvius q. 34. art. 6. questio 2. & alii rectius contrarium tenent: nam afficere proximum injuriâ in vita, fama vel fortuna, sunt peccata contra justitiam specie distincta, propter moralem materiam diversitatem; adeoque similiter sunt peccata odii specie distincta. Quare quod ad mores spectat, non dubitat Suarez sup. n. 3. quin talis diversitas sit aperienda in confessione. Aliam enim morali judicio apparet deordinatio, si desideretur proximo damnatio, alia si mors corporalis, alia si paupertas, alia si infamia. Clarius est, & apud Doctores admissum, si sit sermo de odio Dei & proximi, non sufficienter exprimi in confessione, nisi distinctè specificetur utrumque odium, veluti specie morali maximè distinctum, & diversimodè charitatè Theologicæ oppositum.

8. Malum proximi interdum licitè desideratur ex bono finem.

Advertendum autem licitè interdum desiderari proximo malum, ex alio motivo quàm odii. Nam possumus licitè, immo ex charitate desiderare infirmitatem & afflictionem peccatori, ut per hoc respiscat; possumus desiderare mortem aut infortunia hostibus Ecclesiæ, hominibus scandalosis &c.; ut nocere desinant; punitionem seu vindictam justam peccatoribus perversis, ex amore justitiæ & ad exemplum aliorum &c. Sic etiam ipse Deus vult peccatoribus in peccato morientibus pœnam æternam.

Quia verò Deus vult peccatoribus pœnam quâ talem, adeoque quâ malum & doloriferum est ipsis, censent nonnulli, inter quos Arriaga d. 37. sect. 3. subsect. 2. ipsum habere odium inimicitia proprie dictum adversus peccatores. Quod quidem ad meram de nomine questionem spectat. Et saltem constat aliquo sensu peccatores esse inimicos Dei, & (ut Trid. inum sess. 6. c. 7. docet) per justificationem ex inimicis fieri amicos, atque Deum peccatores tamquam inimicos quodam sensu, scilicet jam præmissis, odio inimicitia profectui. Alii nihilominus contendunt, non esse odium strictè dictum, eò quòd pœna referatur ad reparandum ordinem læsum per culpam, ut sic culpa ordinetur per pœnam, adeoque respiciat motivum divinæ justitiæ: quale non videtur odium, quod homo adversus proximum habet, ei cupiens malum quâ tale, citra aliud motivum justitiæ, aut simile. Propter quod judex zelo justitiæ reum, præsertim aliàs dilectam, puniens non solet dici habere adversus ipsum odium inimicitia. Quod etiam solet distingui ab ira, quæ est appetitus vindictæ, & quidem licitus per se loquendo, si hæc justa ac moderata sit. Odium autem inimicitia censetur communiter esse intrinsecè malum. Sed est (ut dixi) quæstio de voce.

9. An Deus erga peccatores habent odium inimicitia.

Oritur odium aliquando ex concupiscentia, aliquando etiam ex ira, quâ initio appetimus malum proximi prout habet rationem vindictæ & compensationis delicti, sed postmodum dilabimur eò, ut malum proximi desideremus absolute: aliquando & juxta D. Thomam quest. 34. art. 6. ordinariè ex invidia de bono proximi. Supponitque ordinariè aliquam injuriam vel offensam verè vel apparenter illatam ab eo, qui odio habetur. Porro DD. non recensent odium inter vitia capitalia (sic dicta, quòd ex iis tamquam fontibus nascantur ut plurimum alia peccata; quæ proinde sunt quædam velut initia destruendæ virtutis) odium namque est potius extremum malum ex aliis ortum: quamquam eo jam generato, multa mala seu peccata ex ipso causentur.

10. Quæ origo odii.

11. An sit vitium capitale.

QUESTIO II.

De Acedia.

A CEDIA vocabulum origine græcum est, significans incuriam, seu torporum vel tedium, quod sic aggravat animum hominis, ut nil agere libeat. Quomodo latinus Interpres ipsum reddidit Psal. 118. Dormitavit anima mea præ tædio. Quin & græcâ voce tamquam latinâ subinde usus est, ut Eccli. 4. Libera sum, qui injuriam patitur: & non acide id est, tædiosè.



Interdum sumitur pro passione merè naturali corporis.

Interdum pro tristitia appetitus sensitivi.

Acedia generalis quid importet.

12. Quale peccatum sit.

13. An licitum sit aliquem panitere assumpti sacerdotii aut monachatus.

diosè, feras in anima tua. Et quidem interdum consideratur tamquam motus seu passio merè naturalis corporis ex complexione malè affecta originem ducens, quæ potest dici torpor & hebetudo quædam vitium naturalium sub onere languentium; oriturque ex nimio æstu, sumptione cibi, vel humore aliquo prægravante. Neque est peccatum; quin potius viriliter superanda, occasio est majoris meriti. Secundo potest considerari in sensualitate fuga quædam & displicentia appetitus sensitivi de laboribus & difficultatibus. Et hæc quoque per se peccatum non est, esto sit peccati incentivum, & per rationem comprimenda; uti ceteri motus sensualitatis. Tertio itaque volitio seu displicentia; indeque consequens tristitia de bono spirituali, quatenus laboriosum & difficile est. Estque hæc acedia generalis, quæ nimirum non est speciale peccatum, sed per omnia vitia vagatur, diversisque virtutibus repugnat ratione materiæ, de qua quis particulariter dolet. Vitium namque quodlibet oppositum cuius virtuti natum est generare tristitiam, quæ aggravet hominem in exercitio oppositæ virtutis.

Acedia porro, quæ versatur hoc modo circa observantiam alicujus præcepti aut exercitium virtutis, non est juxta *Marchan. To. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 1. q. 3. in append. §. 2. de Acedia peccatum*, nisi ex ea sequatur transgressio præcepti, vel obligationis ad virtutem (supple, nec sit morale periculum transgressionis) estque mensurandum ex ratione transgressionis, immo est idem cum ipsa transgressione præcepti, adeoque dum ex apprehensione & tædio laboris quis resolvit v. g. non jejunare die præcepto, sola transgressio jejunii est confitenda. Si autem apprehendens difficultatem contristetur quidem propterea de jejunio, nihilominus præceptum adimpleat, etsi cum aliqua reluctantiâ seu displicentia non peccat juxta *Marchan. peccato Acediæ*. Alii nihilominus in tristitia, quæ non de sola difficultate, sed ob illam de ipso opere obligatorio est, culpam proportionatam obligationi, uti in morosa de malo delectatione, agnoscere videntur. Si autem sit affectus conditionatus, attendenda est conditionis qualitas, & juxta eam est judicandum, an sit malus, vel qualiter, an verò bonus seu non malus.

Unde scelus periculo transgressionis votorum aut obligationum religiosarum, non peccare, saltem graviter, quem tædet seu poenitet assumpti status religiosi (idem est cum proportionem de statu sacerdotali) sicut enim non tenebatur quis statum istum assumere, sic nec tenetur de assumpto lætari. Quamvis hujusmodi affectus non soleant cadere in bonos Religiosos, sintque ingrati animi argumentum, nec parum pe-

riculosi, que aded omnino dissuadendi.

Acedia, prout est vitium speciale contra charitatem, opponitur gædio de bono divino ejusque amicitia (quod profluit à charitate) estque tristitia de hujusmodi bono divino, scilicet amicitia & statu filii adoptivi, ob tædium laborum & difficultatum. Quæ quidem communi Doctorum sententia est grave admodum peccatum, nisi excuset indeliberatio: eò quod graviter repugnet rationi ob tantillas difficultates habere displicentiam & tædium de tantis bonis; non sine gravi injuria Dei & vili pensioe divinæ amicitia. Hæc ratione acediosis displicet, quod sint ita à Deo creati, ut per exercitia laboriosa virtutum debeant pervenire ad beatitudinem, aliàs damnandi. Unde interdum vellent se non esse creatos, præsertim ad talem finem, neque esse cælum aut infernum, aut se esse animal irrationale, ut liberi à præceptis possent sine timore suis cupiditatibus aut otio indulgere. Quod si solum sit quidam animi tepor, seu languor animi remissi respectu boni divini, importans meram negligentiam & quamdam diminuti nem fervoris charitatis, constat non esse nisi veniale peccatum; veluti non repugnans charitati, sed cuidam ejus modo, scilicet fervori.

Ex hujusmodi porro tædiis & displicentiis in exercitio virtutum varia proficiunt vitia, ut propterea acedia vitium capitale vocetur à *S. Gregorio* & aliis. Nalcitur enim ex tristitia quædam amaritudo & acedo, quæ exercitia spiritualia despere solent: Rancor contra instigantes ad bona, & aversio à verbo divino ad bonum exhortatorio: pusillanimitas, torpor circa observantiam præceptorum Dei & Ecclesiæ, Evagatio mentis etiam circa illicita, otiositas, somnolentia, curiositas, inquietudo, tandem malitia quædam, quæ mens in omnem iniquitatem, divinis rebus contemptis, se præcipitat; inde desperatio de salute, tantaque vitæ displicentia, ut etiam tales frequenter violentas sibi manus injiciant. Vide *Gregorium, 31. Moral. c. 27. aliàs 31.*

Notandum autem ex *D. Thoma qu. 35. art. 1. ad 4.* vitium acediæ debere vinci resistendo, peccata carnis verò fugiendo: hæc enim sunt talia, ut assidua hujusmodi materiæ cogitatio præbeat incentivum peccati & concupiscentiæ: at quo quis magis serio considerat bonum spirituale & divinum, eò magis accenditur mens ad amorem illius & excussionem torporis, qui nascitur ex eo, quod acediosus non satis recogitet corde.

14. Acedia specialis quid, & quale peccatum.

15. Qui acedia sit tristitia ale peccatum.

16. Qualiter vincatur.

QUÆSTIO III.

De Invidia.

17. Quid invidia.

INVIDIA juxta Nonnullos sic dicta est, quod invidens illibenter alterum videat; juxta alios, quod nimis videat alterius prosperitatem, ita ut inde tristetur. Describi solet ægritudo quædam animi seu tristitia vel displicentia de bono alterius, quatenus æstimatur diminutum gloriam & excellentiam propriam. Non omnis itaque tristitia de bono alterius est invidia: potest enim aliquis optare alteri malum, quia ei malum est, & tristari de ejus bono, quatenus ejus bonum est, qui sunt formalissimi actus odii: quia ejusdem vitii est, velle alicui malum, & nolle bonum. Secundò possum tristari de alterius bono, quatenus inde mihi sequi potest efficienter aliquod damnum, v.g. quia opprimit me, si fiat potens; & hic est actus timoris, potestque esse honestus; uti fit, dum tristamur de Hæreticorum felicitate.

Qui distinguitur à variis tristitiis.

18. Signanter ab emulatio.

Tertio possum tristari de bono alterius, non quia ipse illud habet, sed quia ego illo careo. Hæc tristitia non desumitur ex alieno bono, nisi occasionaliter, formaliter autem ex malo proprio: & quidem si sit de carentia virtutis, est honesta, & stimulus ad virtutem, vocaturque zelus & sancta æmulatio commendata ab Apostolo 1. Cor. 12. & 14. Similis æmulatio etiam in aliis bonis locum habet, estque sæpè peccatum ratione inordinationis, sed rarò mortale, & interdum nullum. Sic pauper videns aliorum affluentiam, si sit æmulus, moderatè dolendo, quod ipse quoque bonis ad sustentationem suam & familiæ oportunitis careat, non autem quod aliis ista habeant, non peccat.

19. Item ab indignatione seu Nemese.

Quartò potest quis tristari de bono alterius, quatenus ipse est eo indignus, & tunc dicitur Nemesis & indignatio, quæ per se nullum est peccatum. Sic indignamur aperte videntes officia & dignitates conferri indignis. Indignari autem de prosperitate temporali aliorum præcisè quia mali sunt, & hoc titulo indigni, apparet inordinatum juxta D. Thomam quest. 36. art. 2. & ejus Interpretes (quibus dissentit Lorca ibidem conatus interpretari D. Thomam) cum bona hæc infima, quæ vix nomen bonorum merentur, rationabiliter à divina providentia tribuantur etiam peccatoribus, absque hoc, quod subsit ulla ratio veri mali; adeoque non subsit ratio dolendi ex hoc præcisè, quod justè ea citius aliorum nocumentum possidentes sint mali. Secus foret, si abuterentur ad male fines, & ob hanc aut ob similem causam rationabilem tristitiam conciperemus. Rarò tamen humilissimi animi motus, est quodammodo sint contra charitatem, sunt peccata mor-

talia juxta Wiggers quest. 36. num. 8. nisi ita increverent, ut homo infurgat contra divinam providentiam, tamve arguat, aut inde abducatur ad deferendum studium virtutum. Gravius autem peccatum est, si quis indignetur, eo quod cernat auxilia spiritalia gratiæ conferri peccatori indigno; de quo sanè potius lætandum est, & gratiæ Deo à nobis agendæ.

Quintò itaque possum dolere de bono alterius, quatenus per illud formalissimè, nullo alio malo inde secuto, minuitur in me gloria & excellentia aliqua, quam habebam; v.g. quod essem unicus in eo puncto. Si enim aliquis insignis concionator sit unicus in suo officio, summè æstimatur: si accedant alii æquales, eo ipso minus æstimatur, & hæc tristitia sive dolor apud Theologos dicitur invidia. Ad quam etiam spectat gaudium de malo proximi, quando judico meum inde aliquo modo minuendum: ut cum damnatus ad mortem gaudet aliquem secum damnatum.

20. Propria ratio invidiæ in quo consistat.

Latitudinem invidiæ declarat Augustinus l. 11. de Gen. ad Litt. c. 14. dicens: *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet quod ei coæquantur: vel inferioribus ne sibi coæquantur: vel superioribus, quod eis non coæquantur.* Maximè autem verari solet inter aliquo modo similes & ejusdem conditionis; adeoque inter se, opinione saltem invidi, comparabiles: dum videlicet inferior æquatur, aut æqualis extollitur: non enim solet rusticus invidere regi, quasi hujus bonum offuscet seu diminuat bonum & excellentiam rustici; cum ob nimiam disparitatem non soleat hujusmodi diminutio apprehendi, aut unum ad alterum comparari. Quamvis possit stulta superbia invidi sic ascendere, ut etiam cuius se superiori invidet.

21.

Ordinarie inter quodammodo pares versatur.

Si autem queratur quale peccatum sit invidia? Respondet Lorca q. 36. art. 3. in Comment. non videtur ex ratione sua formaliter esse gravius inani gloria, quamvis ex effectibus & vehementia affectus, quo quis procederet ad removendum bonum proximi injustè, esset mortale. Quemadmodum etiam avaritia, quæ est inordinatus amor divitiarum, non est mortalis, nisi adeò procedat, ut præferat amorem divitiarum charitati Dei, vel proximi, aut debito justitiæ. Nihilominus D. Thomas & alii Doctores communiter existimant esse ex genere suo peccatum mortale: tum quia inter opera carnis à regno Dei excludentia recensetur invidia, ad Gal. 5. tum quia repugnat charitati (quæ gaudet de bono proximi, uti de suo) tristari de bono proximi, seu illud nolle, ob solam vanæ gloriæ umbram citra ullam rationabilem causam. Sæpè nihilominus est peccatum veniale ob imperfectionem actus sive deliberationis: tum etiam ob levitatem materiæ, prout contingit in pueris, & infimæ fortis homi-

22. Quale sit peccatum. Opinio Lorca.

Communis opinio.

hominibus modicum lucrum seu bonum invicem invidentibus. Et quoniam affectus invidiæ consistit in sola displicentia ex motivo præmissio conceptâ, non sufficit juxta *Arriaga d. 47. n. 28.* ut sit mortaliter malus, ea materia, quæ in voluntate efficaci sufficit ad peccatum mortale, v. g. etsi furari unum florenum esset mortale, non ideo erit mortale alteri unum florenum invidere, etiam deliberatè.

23.
*Emulatio-
nes & in-
vidia merca-
torum dis-
cuntur.*

Sæpe etiam transit in emulationem; & tunc non est per se peccatum. Sicut solent mercatores invidere, quod vicinorum officinæ frequententur suis neglectis; non tam dolentes de alieno lucro (quod eis bene cupiunt) quam quod ipsi eo careant. Possent enim licitis modis emptores ad suam officinam invitare, & optare, ut eam frequentent, adeoque dolere de carentia lucri, præsertim si indigeant. Periculosum tamen id est: partim quia facilè detractionibus aliisve malis artibus utuntur ad emptores ab aliis divertendos; partim quia interdum dolent ac invident absolute, sic ut quamvis non ideo magis frequentaretur officina ipsorum, malient non frequentari officinam vicinorum, ut scilicet hæc ratione habeant socios calamitatis.

24.
*Quid fra-
terna cha-
ritatis in-
videntia.*

Supremum autem invidiæ peccatum est invidia fraternæ charitatis juxta *Marchant To. 2. Tract. 6. Tit. 2. quest. 1. Adnotat. 2.* consistens in hoc, quod dona sancti Spiritus, fidei scilicet spei & charitatis doleamus proximo inesse: sive quod apprehendamus inde minui æstimationem nostram: sive quod diabolicâ malitiâ optemus nobis solis inesse. Inter hujusmodi peccata recenset, quod quis persequatur alium justum, eò quod reputetur melior, aut magnificat ob virtutum excellentiam, vel quod vitia illius videatur actiones nostras condemnare.

25.
*An Invidia
sit peccatū
capitale, &
que vitia
generet.*

Invidia (quæ juxta *Augustinum sup.* est filia vanæ gloriæ seu superbix) est ipsa quæque mater plurimum vitiorum, ideoque inter capitalia peccata recensetur à *Gregorio 31. Moral. c. 17. alias 31. D. Thoma, & reliquis Theologis*: generat enim odium, susurrionem, detractionem, exultationem in adversis proximi, & afflictionem in ejus prosperis, non quatenus præcisè minuunt propriam gloriam, sic enim sunt ipsamet invidia, sed quatenus eveniunt contra conatum invidi. Denique invidia etiam generat homicidium: prout invidia Cain occiso fuit frigidii; similiter invidia filiorum Israel adversus Joseph tanta fuit, ut eum ad necem quærent. Prout etiam Christum Judæi ex invidia tradiderunt Præfidi Gentili.

QUESTIO IV.

De Discordia, Contentione & Schismate.

26.
*Quid dis-
cordia &
quomodo
viti-
a.*

QUEMADMODUM concordia est consensus animorum & voluntatum; sic discordia est discrepantia seu dissensio animorum seu voluntatum. Quæ quia ex diversis principis vel causis oriri potest, aliquando potest esse justa, & actus virtutis, aliquando injusta & peccatum. Justa est discordia, quæ quis ab altero dissentit in hæresi, aut errore contra bonos mores. Item quæ non consentit alteri in voluntate malè faciendi. E contra discordia aliqujus, qui ex protervia dissentit ab eo, qui sanam doctrinam fidei & morum tradit, & qui per mandatorum observantiam Dei & proximi bonum promovere conatur, est iniqua & peccatum. Potest etiam dari discordia indifferens, ut si quis discordet ab alio, qui secum vult ire ambulatum. Fieri præterea potest concordiam in bono per accidens tolli, ut quando duo sincere intendunt honores Dei vel bonum proximi, unus per actum, alter per ejus omissionem; unus quod putet actum ad hoc esse utiliore, alter ejus omissionem: & in his est consensio voluntatum circa finem, & dissensio opinionum circa media.

27.
*Oppositi-
tes virtutibus.*

Discordia irrationabilis & peccaminosa interdum est contraria charitati, interdum aliis virtutibus, à quibus oritur obligatio consentiendi alterius voluntati. Sic tenetur subditus ex obedientia consentire voluntati superioris: unde si discordet, peccat contra obedientiam. Similiter tenetur debitor consentire voluntati creditoris, & certo tempore ei satisfacere; quod si non faciat, illa discordia est peccatum contra justitiam.

28.
*Quomodo
opponitur
charitati.*

Hic verò de illa sermo est, quæ opponitur concordix, quæ facit charitatem, quæ multorum corda conjungit in aliquod unum verè bonum, & consequenter quatenus opponitur charitati, estque dissensio voluntatum circa bonum, in quod ex charitate obligamur consentire. Est autem hoc peccatum grave ex genere suo, tum quia opponitur charitati: tum quia *ad Galat. 5.* inter mortalia opera carnis recensentur dissensiones: tum quia inter eos, quos odit singulariter Deus, statuit Scriptura *ecce qui seminat inter fratres discordias Prov. 6.* Lædij hoc vitium pacem ex charitate servandam inter communiter in eadem familia aut communitate viventes, aut inter eos qui sunt in eodem collegio Consiliiarii, Rectores &c. multumque impedit profectum & bonum com-

commune. Estque prudenter iudicandum de gravitate mai ex charitatis obligatione vitandi, attentis circumstantiis.

29. Contentio quid, quod simplex, an, quando & qualiter peccaminosa.

Contentio generaliter sumpta significat quemvis vehementem sonatum, communiter tamen significat concertationem, sive verbis, sive pugnis vel armis fiat. Hic autem sumitur pro concertatione sive disputatione verbali, praesertim vehementiori. Haec potest ex varia intentione fieri. Primum pro defensione veritatis. Secundum exercitii gratia: & haec utraque est laudabilis, nisi per accidens per immoderantiam vitietur. Tertio assumi potest, ut veritas serio oppugnetur; quae si spectet ad fidem vel bonos mores, contentio illa est mortalis: aliam non solet esse mortalem, sed peccatum veniale contra veracitatem, ut si impugnetur veritas aliqua Philosophica. Quartum ut alter irritetur, & publice confundatur, eiusque auctoritas evertatur: & tunc est contra charitatem, nisi confundendus sua auctoritate alios in errore retineat. Et generatim quando animorum discordia repugnat charitati, eidem repugnat correspondens contentio, velut actus quidam exterior discordiae internae. Quare Contentiones recensentur inter opera carnis ad Gal. 5.

30. Quid schisma.

Schisma vocabulum origine graecum, significans generatim scissionem seu divisionem, ex usu Ecclesiae significat divisionem, qua quis se voluntarie dividit seu separat ab unitate Ecclesiae, servata Christiani nominis professione. Unde scindit unitatem Ecclesiae schismaticus, quatenus se aliove ab ea dividit, de reliquo tamen ipsa universali Ecclesia in sua unitate quoad membra, quae continet, semper remanente.

31. Quia vero unitas Ecclesiae exigit partim unitatem fidei, partim communionem membrorum in eodem externo cultu ac Sacramentis, & praesertim subordinationem ad idem supremum caput: ideo fieri potest schisma dividendo se ab unitate fidei, potest quoque fieri fidei retentione. Unde omnis haereticus habet conjunctum schisma, non contra, ut recte Hieronymus in c. 3. ad Tit. Augustinus l. de fide & Symbolo c. 10. qui enim retentione fidei recederet ex malitia plane ab obedientia Pontificis canonice electi, & tamquam talis ab Ecclesia agniti, nec communicare vellet membrum ei subditis, esset schismaticus, non haereticus.

Potest esse sine haeresi, non contra.

32. Schisma in veteratum sibi degenere in haeresim.

Quamvis schisma inveteratum solet degenerare in haeresim, ut recte notavit Hieronymus sup. dicens: Nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. Per inductionem posset ostendi.

33. Signanter autem de Donatistis notavit Augustinus Haeresi 69. quod postquam

schisma tentantes, conatque intrudere in Cathedram Carthaginensem Majorinum loco Caeciliani (cuius obiciebant crimina non probata) causa coram Melchiade Papa cecidissent, pertinaci dissensione firmata schisma in haeresim verterunt, contententes Ecclesiam universalem perisse, extra partem Donati, quasi pollutam, contagione criminum Caeciliani eiusque adhaerentium. Postea quoque lapsi sunt cum Novatianis in anabaptismum Catholicorum. De quo etiam videri potest Baronius ad annum 321. asserens primum ex Traditoribus Schismaticos, postea in deterius prolabantes haereticos evasisse. Ut proinde ignorem quo fundamento dixerit Arriaga d. 47. sect. 4. n. 36. Donatistas virtualiter incepisse per haeresim (de qua tamen non notantur ab Augustino aut Baronio) negantem licere lapsos poenitentes ad Ecclesiam recipere.

matici, quam haereticis.

Quidquid oppositum insinuat Arriaga.

Schismatici Graeci sunt veri haereticis.

Similiter schisma Orientalis Ecclesiae in varias haereses degeneravit: ut proinde etiam Graeci vulgo Schismatici appellantur, verè tamen non minus quam alii haeretici nomine haereticorum insigniri mereantur.

33. Schisma interduum condistinguuntur haereticis.

Frequenter autem solet schisma condistingui contra haeresim, prout etiam Augustinus sup. Hieronymus sup. & in c. 1. Amos & alii Patres distinguere solent inter Haereticos & Schismaticos: & tunc in definitione Schismatis ponenda esset haec similisve particula. Retentam ejusdem fidei Catholica professione.

34. Varii schismatis modi declarantur.

Potest porro schisma fieri per hoc, quod una pars se separet à sola unitate membrorum seu ab aliis Ecclesiae membris, & non expressè à capite. Qui tamen modus rarus est in Ecclesia. Potest etiam per hoc, quod se separet à capite, & non à membris. Potest denique, se separando ab utriusque. Perinde autem est, sive separatio verbis, sive factis, sive explicitè, sive implicitè fiat, ostendendo se nolle Ecclesiam, vel Pontificem quæ talem recognoscere. Quare schismaticus est, qui formaliter non vult Pontificem recognoscere ut superiorem, eive tamquam tali obedire: qui eligit aut eligere tentat Pseudo-Papam, eive adhaeret, eiusque sequacibus, segregans se ab iis qui Pontificem agnoscunt, & ab eius obedientia alios abducens: qui Synodum generalem sine auctoritate Papae congregare, aut legitime dissolutam restaurare, leges universales Ecclesiae praescribere, & similia facere praesumit.

35. Varii à schismate excusantur.

Non est tamen proprie Schismaticus hoc ipso quo quis excommunicatur: non enim ipse se segregat à coetu fidelium & obedientia Pontificis, sed ob aliquam culpam invitatus ab Ecclesia eicitur. Idem est de eo qui recedit ab obedientia particularis

cularis Prælati, etiam Episcopi aut Cleri, si cum aliis Ecclesiis & Pontifice communicet; utpote non sparans se ab unitate universalis Ecclesiæ. Est tamen ibi schisma imperfectum & inchoatum, quod proficitur & completur, quando quis propterea non vult communicare cum iis, qui communicant cum tali Episcopo, prout supponuntur communicare ceteri fideles; ipsumque fidelium caput. Similiter non est schismaticus, qui non vult ex malitia, ira, infirmitate aut simili ratione præceptis, præsertim aliquibus (quid ni etiam omnibus? quamquam id non sit natum fieri in eo, qui sincerè Papam recognoscit) Pontificis non obedire, ceteroqui eum tamquam caput recognoscens; uti neque, si conetur excutere jugum Pontificis tamquam Domini temporalis loci, aut si refugiat subire iudicium Pontificis prætexendo partialitatem ejusdem. Idem denique est, si recedat ab obedientia Pontificis propterea, quod probabiliter putet non esse Papam: cum sanè etiam Ecclesiæ consistare debeat legitima electio Pontificis, antequam teneatur eum pro tali agnoscere.

36.
An Papa possit fieri Schismaticus.

Dubitatur verò ab aliquibus, an Papa possit esse schismaticus? Respondetur autem passim Affirmativè, quantum est ex natura Schismatis. Colligi potest, partim ex eo, quod juxta receptam doctrinam possit fieri hæreticus; hoc autem non fiat sine schismate: partim quòd possit se velle separare à communione ceterorum Episcoporum & fidelium, ipso corpore Ecclesiæ in sua unitate permanente; quemadmodum ipsum in ea permanet Sede vacante: partim quòd possit nolle manere Pontifex, & tamen non velit subesse noviter eligendo, sed conferat se ad privata Hæreticorum aut Schismaticorum conventicula. Immo Sylvius q. 39. art. 3. Coninck & alii asserunt Pontificem excidere per Schisma, uti per hæresim à Pontificatu. Et favet Cyprianus Epist. 52. de Novatianis Pseudo-Episcopo Romano dicens: *Episcopatum tenere non possit, etiamsi Episcopus prius factus, à cœpiscoporum suorum corpore & Ecclesia unitate desisteret.* Deus tamen avertet (uti confidimus) ne quando legitimus Pontifex Schisma faciat; quin potius ipse est, qui hæctenus ab aliis attentata compressit.

37.
Quale peccatum sit Schisma.

Est porò Schisma peccatum gravissimum contrarium; aded ut nunquam leve esse possit (seclusà imperfectà deliberatione) se ab universali Ecclesia sejungere, ejusque caput non recognoscere: sicut non datur levis fornicatio, homicidium, & similia peccata completa. Estque contrarium charitati, juxta sanctos Patres & Doctores, idque specialiter, quia dissolvit & lacerat unitatem Ecclesiæ,

quam Charitas facit ac præcipit. Quam quidem unitatem servandam tam arcta est obligatio, ut Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Hist. Eccles. l. 6. c. 35. verè dixerit: *Oportueret quidem etiam pati omnia, pro eo ne scinderetur Ecclesia Dei.* Præter peccatum contra charitatem potest adesse peccatum contemptus potestatis Papalis, aut hæresis, si sit Schisma hæreticum, aliave circumstantia specialis.

Pœnæ Schismaticorum sunt variae. Prima (quæ desumitur ex Cypriano relato c. Didicimus 24. q. 1.) est privatio omnis jurisdictionis spiritualis, v. g. absolvendi, dispensandi, dandi indulgentias &c. Potestas tamen Ordinis (quæ jure divino adhæret characteri indelebili) manet, estque impedita quoad licitum. Non sufficit autem juxta Variorum sententiam, ob majus bonum fidelium, delictum, etiam manifestum, ante sententiam Ecclesiæ, seu denuntiationem nominatim faciendam, saltem post Concilium Constantiense Extrav. Ad evitanda, saltem nisi ultrò ipsi manifestè recedant ab eo officio, quod habebant, ad Hæreticorum aut Schismaticorum conventicula transeuntes. Quod addit Sylvius sup. ed quòd cum Ecclesias suas deserunt, palamque ad Schismaticorum castra deficiunt, non videatur opus ullâ in ipsos sententiâ: Concilium enim loquitur de illis, qui & inter Catholicos versantur, & in officiis suis permanent. Ita ille.

38.
Prima Schismaticorum pœna, privatio jurisdictionis Ecclesiæ.

An ad hæc requiratur denuntiatio aut sententia.

Secunda pœna est excommunicatio lata sententiâ in Bulla Cœnæ. Et si ea seclusâ fuerit satis controversum, an Schismaticis esset jure imposita excommunicatio plusquam ferendæ sententiæ; v. vide re est apud Azorium 1. P. l. 8. c. 20. quest. 6.

39.
Secunda. Excommunicatio.

Tertia, inhabilitas ad beneficia in futurum obtinenda c. Quia diligentia, de electione. Quod etiam juxta sententiam Bonacina, Sanchez & aliorum passim (estque varii contradicant) locum habet in Schismaticis per penitentiam emendatis, nisi accedat dispensatio Papæ, vel (dum delictum occultum est) Episcopi. Denique ordinati à Schismaticis suspenduntur ab usu ordinum per illos collatorum c. 1. de Schismaticis, ubi tales ordines irritantur, quatenus obstaculum ponitur licito usui. Privandus quoque est beneficio vel dignitate Ecclesiastica, qui illud à Schismaticis accepit c. 1. de Schismaticis. An autem hæc procedant, suppositâ denuntiatione, colligi potest ex statim dicto.

40.
Tertia, inhabilitas ad beneficia.

Et suspensio ab usu ordinum.



QUESTIO V.

De Bello.

S. I.

Quid, Quotplex sit Bellum, & an licitum?

41. Quid Bellum, (sic dictum per antiphrasim, quasi minime bellum, aut per se pulchrum: seu à belluis, quatenus belluarum more se mutuo laniatu homines interimunt) est discordia hostium vi & armis invicem nocentium, seu nocere profitentium. Et in actu vel secundo est ipse armorum conflictus. Differt à Seditione & Rixa, quod bellum sit inter duos Principes supremos vel republicas: Seditio fit inter subditos & Principem, vel inter cives & republicam: Rixa verò fit inter privatos & paucos.

Qui diffinitur à seditione & Rixa. Aliud offensivum, aliud defensivum.

Bellum, aliud offensivum (quod etiam aggressivum, & vindicativum appellatur) quod suscipitur pro satisfactione & vindicta injuriæ illatæ: Aliud defensivum, quo quis se tuetur contra aggressorem.

42. Bellum porro semper esse illicitum dixerunt Manichæi apud Augustinum l. 22. contra Faustum cap. 74. Erasmus quoque, tum alibi, tum in Annot. ad c. 3. & 22. Luca censet esse illicitum in lege gratiæ, etsi Judæis à Deo permixtum. Cui consensit Anabaptista Lutherus denique inter alia paradoxa asseruit illicitum esse bellum, non quidem universim, sed Christianorum contra Turcas, ut patet ex Artic. 34. damnato in Bulla Leonis X. Et si more solito sibi non constans lib. de P'statione Saxonia planè contrarium scribat.

43. Verum ex natura rei licitum esse bellum, modò debitis conditionibus (ad quibus postea) vestiatur, nec solum Judæis, sed etiam Christianis esse concessum, est de fide. Nam ante legem scriptam Abraham bellum gessit, & partà victorià benedictionem à Melchisedech accepit Gen. 14.

In lege scripta Deus varia bella etiam præcipit, contra Madianitas Numer. 25. Contra Amalécitas Exodi. 17. & 1. Reg. 15. Contra alias Gentes Numer. 21. Deuteron. 3. & aliis locis Librorum Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon. Quin & ipse Apostolus ad Hebr. 11. laudat Gedeonem, Barac, Sampsonem & alios, qui per fidem vicerunt regna; fortes facti sunt in bello, castra venterunt exteriorum.

44. In Evangelio Luca 3. Joannes Baptista instante jam prædicatione Christi, & Hermeæ Sum. Theol. Pars III.

viam ad illam parans, dum rogaretur à militibus, quid facerent, ut fugere possent à ventura ira, dixit illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris. Nam certè si Christiana disciplina (ut utar verbis Augustini Epist. 5.) omnia bella culparet; hoc potius militibus consilium salutis perentibus in Evangelio diceretur; ut abjicerent arma, scq; omni militia subtraherent. Et post: Quibus propriis stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. Similia repetit Epist. 205. Vide etiam lib. 22. contra Faustum c. 74. Ex eodem etiam loco arguit Bernardus Serm. ad milites templi c. 3.

Urget etiam Augustinus Epist. 205. quod Centurionis illius, qui Matth. 8. dicebat se habere sub se milites, fidem laudavit Christus, non militiæ desertionem præcepit. Quamquam Arriaga d. 48. sect. 1. num. 2. hanc probationem ut non efficacem rejiciat. Alter etiam Centurio, qui tamquam vir justus & timens Deum; ac visione Angeli dignatus fuit Act. 10. viam salutis à Petro edoctus, & Spiritu sancto repletus, non legitur accepisse præceptum militiam deserendi. Denique sufficit ad hoc quod nusquam in novo Testamento bellum legitimis conditionibus vestitum legatur prohibitum.

Consensus Patrum videri potest apud Bellarminum lib. 3. de Laicis cap. 14. Perpetuus idem fuit sensus Ecclesiæ: nam etiam tempore Gentilium Imperatorum plurimi Christiani (è quorum numero non pauci Martyres) militarunt, nunquam ideo reprehensi. Ecclesia quoque Christianos Principes sæpè excitavit ad bellum Saracenis seu Turcis inferendum; prout fecit Urbanus II. Paschalis II. Eugenius III. & alii Pontifices. Nec non Concilia, etiam generalia Lateranense, Lugdunense, Viennense &c. idque propositis magnis indulgentiis Extant etiam in Historiis monumenta insignium & portentosarum victoriarum singulari Dei auxilio, nec sine miraculo ab hostibus Ecclesiæ reportatarum.

Ratione idem patet, quantum ad bellum defensivum; quia cuilibet, etiam privato, jure naturæ fas est vim vi repellere, & à se injuriam defensione necessariâ propulsare; quantum magis reipublicæ? Estque id planè necessarium ad conservationem reipublicæ, ut non minus extraneos, quam internos hostes, possit à se suisque arcere; quorum utique defensio etiam ex officio incumbit reipublicæ, ejusve rectoribus. Idem probatur de bello offensivo: ejus enim gerendi facultas etiam est necessaria conservationi reipublicæ; quæ alioquin citra remedium ullum remaneret in materia reparationis damnorum seu injuriarum ab extraneis, præsertim superiorum terrenum

45. Ex aliis locis novi Testamenti.

46. Ex consensu Patrum & sensu ac praxi Ecclesiæ.

47. Denique ex ratione.



num non habentibus, illatarum. Sicque
 esset peioris conditionis, quam privati,
 quibus adversus familia incommoda pro-
 vulum est de ordinario remedio justitiæ
 publicæ, ad quam possunt per se loquendo
 refugere. Nec aliàs esse poterit injuriarum
 terminus, neque prospici in necessitatibus
 reipublicæ, si hoc freno hostiles & extra-
 nei injuriatores (qui quodammodo inju-
 rias continuare cœntur, quamdiu debi-
 tam satisfactionem exhibere detrectat) non
 possent compelli. Immo indemnitàtem
 sibi commissorum promovere incumbit
 reipublicæ ejusve rectoribus ex officio.

48.
 Nonnulla
 Scripturæ
 Loca oppo-
 nuntur ac
 dissolvun-
 tur.

Objici I. solent variæ Scripturæ; quæ
 tamen vel continent solum consilium pa-
 tientia perfectioris, vel prohibent vindi-
 ctam privatam, non autem usum gladii
 ad defensionem, aut justam vindictam in-
 ferendam à publica potestate. Illud autem
Isaia 2. Nec exercebuntur ultra ad prælum;
 de tempore Natalis Christi, qui toto or-
 be in pace (quæ satis diuturna fuit) com-
 posito venit, intelligit *Hieronymus* & alii.
 Quidam, alios sensus adhibent: quorum
 nullus faveat adversarijs. Et planè cum *Isaias*
 non reprobet aut prohibeat ibi bellum, &
 solum prædicat illud non futurum tempo-
 re Christi aut novæ legis, potius inde vi-
 deretur posse etiam contra Adversarios ar-
 gui, Christum aut tempus legis novæ non-
 dum advenisse.

49.
 Loca Pa-
 trum expli-
 cantur.

Objiciuntur II. varia loca Patrum: quæ
 dissolvit *Bellarminus sup.* vel enim dant
 consilium, vel agunt de militia, cui jun-
 cta sunt pericula gravia peccandi contra
 mores, aut etiam fidei professionem, si-
 gnanter sub ducibus infidelibus, vel de ijs,
 qui ratione publicæ pœnitentiæ impedi-
 ebantur. De quibus solet explicari *Leo Pa-
 pa Epist. 92. cap. 10.*

50.
 Specialiter
 dicitur S.
 Martini ad
 Julianum
 Apostatam.

Solum est observandum circa dictum
S. Martini ad Julianum (teste *Severo Sul-
 pitio cap. 3. vita*) *Christi ego miles sum, pu-
 gnare mihi non licet;* quod non velit mili-
 tiam titulo præcisè Christianismi sibi illi-
 citam (jam enim biennio fere à suscepto
 baptismo militaverat teste *Sulpitio c. 2. vi-
 ta*) sed titulo poti, propositæque vitæ
 Monachalis suscipiendæ. Vel certè non si-
 gnificat esse strictè illicitam, sed indeco-
 ram militiam sub tam impio apostata. Vel
 denique exordium vitæ est vitio Librario-
 rum depravatum, juxta *Baronium ad an-
 num 351.* ut non titulo Christianismi,
 sed tempore ordinarii completi petierit
 absolvi, velut qui 24. stipendia meruerat,
 & cum dimissus fuit à militia annum æ-
 tatis quadagesimum attigerat. Vide *Baro-
 nium.*

51.
 Explicatur
 Canon Con-
 cillii Niceni.

Objicitur III. Canon 11. aliàs 12. Con-
 cillii Niceni, quo indicitur pœnitentiæ de-
 cennii redeuntibus ad militiam. Resp. ser-
 monem esse de ijs, qui sub tyrannide
 Gentilium Imperatorum, signanter pro-
Herinex Sum. Theol. Pars III.

ximè præcedenti *Cicini* jussi balteum mi-
 litare (quod honori dæcebatur, depone-
 re, aut idololatriam committere, militia
 se abdicaverant, & tamen eandem postea
 gloriam tam abnegatione saltem implicita
 fidei ambiebant.

Objiciuntur IV. generalia bellorum in-
 commoda. Sed Respondeo ea efficere, ut
 non facillè bellum sit assumendum, sæpe-
 que sit illicitum, quando non speratur fru-
 ctus prævalens, saltem attentis consequen-
 tijs; non autem probari inde, quod ob
 ejusmodi incommoda per accidens sub-
 sequentia bellum sit ex natura rei & per se
 illicitum. Bellorum incommoda brevissimè
 perstringit *Dambouderius Rerum Criminal.
 pract. c. 82.* in principio, & qualiter con-
 fecto bello perleverent, rectè ostendit *cap.
 151. num. 22.*

52.
 Solvitur
 objectio de
 sumpta ex
 belli incom-
 modis.

Objicitur V. *Luthero*, quod per Tur-
 cam Deus castiget peccata Christianorum,
 cui proinde nequit resisti. Resp. etiam per
 pestem & morbos & famem & alia bella
 punire Deum peccata nostra, & tamen li-
 citum, immo debitum est hujusmodi effe-
 ctus fugere, ac eisdem per medicinas, &
 cibi procuracionem, ac defensionem con-
 tra aliorum hostium incursum obviare. Per-
 mittit itaque Deus malam voluntatem Tur-
 carum, volens etiam, tum ut nos emende-
 mus, tum ut nos opponamus. Aliàs sanè
 Turca dudum terram Europam absorbuisset.
 Adhuc nihilominus locus est terrori & pu-
 nitioni atque afflictioni, & consequenter de-
 bet esse locus emendationi, non obstante
 resistentiâ,

53.
 Arguimur
 tum Luth-
 ri de bello
 contra Tur-
 cas dissol-
 vitur.

§. II.

*Quæ sint Conditiones justitiae
 liciti Belli?*

TRES conditiones legitimi belli alle-
 gantur à Theologis & Jurisperitis
 communiter, nimirum auctoritas legitima
 in indicente, justa causa, & recta intentio.
 Cui additur à nonnullis, bonus in beso
 servando modus. Qui tamen ad ipsum
 belli progressum spectat, & §. seq. exami-
 nabuntur.

54.
 Tres liciti
 belli condi-
 tiones ag-
 gnantur.

Auctoritas indicendi bellum est, pœnes
 Rempublicam supremam, ejusve (si ha-
 beat principem; prout habent Regna Hil-
 pania, Gallia &c. Ducatus Brabantia,
 Geldria &c. non habent autem respublicæ
 liberæ. v.g. Venetorum, Genuesium
 &c. Idem insinuat. *Augustinus l. 22. contra
 Faustum cap. 475.* dicens: *Ordg. ille natura-
 lis mortalium paci accommodatus hoc poscit,
 ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium
 pœnes principem sit.*

Auctoritas
 bellum in-
 dicendi est
 pœnes su-
 premam
 rempubli-
 cam seu
 principem.

Ratio est: quia privati & Magistra-
 tus inferiores habent superiorem, ad
 quem lege ordinariâ confugere, & à quo
 injuriarum ac damnorum reparacionem
 petere

petere possunt; hoc autem medium deest supremis Principibus & Magistratibus, quibus proinde, tum ad sui, tum ad sibi subditorum indemnitate relinquere debuit medium aliud, belli scilicet, quod unicuique restat; dum aliter satisfactio debita reculatur. Princeps proinde potest de se & suis esse quodammodo iudex & vindex. Magistratus itaque & Domini inferiores seu vasalli limites suae commissionis bellum indicendo excederent, jusque supremi Principis aut Magistratus illegitime usurparent. Alias quoque omnia essent plena seditionibus & turbis.

Hæc tamen intelligenda sunt de bello offensivo: defendere enim se, quantum necesse est, contra invadentes, cuilibet etiam privato licet. Quod etiam referri posset quædam (ut si dicam) aggressio iusta defensionis necessaria, si v. g. invasor certo loco quiescens percutiatur, cui, si ulterius progredi permittatur, non erit resistendi locus: vel quando tanta esset principis malitia, aut supina inertia, ut casus censeatur exemptus, & potestas per bellum, quod ad se conservandum sit omnino necessarium, reservata. Posset etiam ex præscripta consuetudine fas esse alicui principi agnoscanti superiorem indicere bellum contra extraneos; prout nonnulla regalia quibusdam vasallis competunt de expressa, clarè præsumpta, seu tacita & legali supremi Principis voluntate. Potest insuper contra extraneos injuriam inferentes, etsi ab ea cessantes, respublica inferior se vindicare, si eos intra limites suæ jurisdictionis reperiat.

Advertit autem *Molina de just. disp. 100. §. dubium verò* & alii, auctoritatem indicendi bellum fore poenæ pagum aut familiam, præsertim numerosam, si quæ foret natio, in qua non sit communicatio cum aliis pagis aut familiis in ordine ad constituendum unum corpus reipublicæ perfectæ, sed singulæ Communitates seu familiaria forent supremæ, seu non agnoscens superiorem. Qualis fuit familia Abraham, qui bellum gessit. Prout etiam olim plura oppida aut Regionis etiam modicæ habuerunt suos Regulos seu duces independentes, poenæ quos erat jus belli.

Petes, an ad bellum indicendum requiratur licentia Pontificis? Resp. Neg. Nam in temporalibus supremi Principes neminem agnoscunt: Potest tamen Papa tamquam dominus supremus sui territorii etiam indicere bellum. Posset etiam exigente id bono Ecclesiæ & fidei vi potestatis indirectæ in temporalia, bellum indicere, & per Principes Christianos gerere contra hostes Ecclesiæ. Posset denique interdum (ut notant Varii) ex causa aliqua necessaria Ecclesiæ, Principibus inhibere certum bellum, sequeque inter-

Herincx Sum. Theol. Pars 111.

ponere ad controversiam dirimendam aut sopiendam. Quod quidem semper paternis monitis per se suosque Nuntios sanctissime ageret, ubi spes profectus appareret.

Iusta & sufficiens causa belli indicendi juxta Doctores communiter est gravis injuria reipublicæ illata, cujus satisfactio seu reparatio debita aliter obtineri non potest. Et cononat *Augustinus quest. 10. in Josue: Iusta bella definiuntur, que ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, que bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est.* Unde ad vindicandas injurias seu contumelias Principi aut reipublicæ illatas, ad damnum illatum reparandum, & terras seu oppida injustè ablata recuperanda, ad compescendos rebelles, seditiosos, hostes, eorum fautores aut quovis modo reipublicæ injustè nocentes, dum non suppetit alia via providendi, bellum geri potest.

Hujusmodi causas videre est in bello Israëlitarum contra tribum Benjamin ob injuriam factam uxori Levitæ, *Jud. 20.* In bello indicto per Davidem contra Hanon regem filium Ammon ob insignem injuriam suis nuntiis factam, *2. Reg. 10.* In bello contra Amalech, *1. Reg. 15.* In bello Davidis contra Seba filium Bochri, qui rebellionem intentabat, *2. Reg. 20.* In bello indicto *4. Reg. 3.* ratione rupti fœderis.

His addit *Augustinus quest. 10. in Josue* divinum præceptum de bello, in quo proinde homines non tam auctores, quam ministri sunt judicandi juxta *Augustinum præceptum.* sup. qui hoc titulo justificat bella per Moysen gesta *22. contra Fausum cap. 74.* Indubie enim justum est, quod præcipit justus Deus, ad puniendos scilicet malos, & humiliandos, Deique virtutem in ultione recognoscendam.

Debet nihilominus prius peti satisfactio, nec nisi negatâ justitiâ bellum indici. Prout fecerunt filii Israël *Jud. 20.* & monuit Deus Israëlitas *Deuter. 20.* Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Bellum enim debet esse medium ultimum: ejusque causa cessat, inæqualitate injustitiæ per compensationem sublatâ. Neque respublica una aut Princeps illius est iudex ordinarius alterius extraneæ reipublicæ aut principis, sed solum vindex est in iram respectu suorum, respectu extraneorum verò in quantum id necesse est ad jura suæ reipublicæ conservanda. Unde *Augustinus Epist. 205. ad Bonifac. Comitem* docet, quod pacem habere debes voluntas, bellum necessitas.

Debet præterea gravis valde esse injuria,

58. *Iusta belli in incendiis cause assignantur.*

59. *Quæ Exempla à Saera Pagina petitis confirmantur.*

Aliam Augustinus adprobat, in quo dicit, Dei præceptum.

Bellum præcedere debet petita, nec obtenta satisfactio.

61.

55. *Qui suscipere bellum sit alius inferioribus licitum.*

56.

57. *An inter Christianos præquiratur licentia Pontificis.*

Injuriam
valde gra-
vem subesse
oportet.

ria, quæ sufficiat, non obstantibus tot belli incommodis, eisque æquivalent. Est enim valde inordinatum exigens damni vel injuriæ reparationem velle tali medio, quod extrema mala alteri reipublicæ adducit, curare. Immo etiam propriis subditis solent bella graviora mala adducere; ut proinde respectu horum saltem (quidquid sit respectu extraneorum) etiam contram justitiam seu rationem officii sui delinqueret, si eos in graviores malorum & damnorum tolerantiam injiceret pro inferioris damni aut levis injuriæ reparatione.

Quare dum mala belli attentius mente pertracto, mirari satis non possum (ut utar verbis *Dambonderii in Praxi rerum criminalium cap. 151. num. 23.*) quid mentis habeant nonnulli Principes nostri Christiani, qui interdum ob res tam leves, & tolerabiles, tam dira atque furiosa in fratrem Christianum non verentur suscipere bella; unde tantorum malorum oceanus in felicissima regna perumque exundatione perumpit. Profecto, de hujusmodi Principibus (pene perniciebus dixeram) eorumve consiliariis nil aliud divinare possum, quam eos esse aut stolidos, aut insensatos, aut atheos (licet titulo, verboque tenus Christiani haberi velint) qui suis moribus testentur, se non credere Deum nusquam non præsentem esse suarum actionum inspectorem. Aut certe crediderim Deum eos tradidisse in reprobam sensum, ut tam obstinate contra fraternam Christianamque concordiam militare, & infesta signa ferre non reverentur, seque obsecatis animis præbere flagella, quibus Deus ad suorum probationem, aut correptionem profus abuti videtur. Ita ferè ad verbum *Dambonderii supra.*

62.
Nonnulla
attentis co-
sequentiis
ingratas
in ordine ad
justifican-
dum bellum
damna Ec-
clesia qui
attendenda.

Patendum tamen, quod injuriæ, quæ primâ fronte in se non admodum graves videntur, v.g. incursiones aliquæ, aut parvorum locorum occupationes, possint attentis periculis majoris insolentia & pejorum consequentiarum esse graves & causa justa belli, si Princeps vel Magistratus extraneus admonitus, contemnat facere reparationem. Propterea attendenda sunt damna fidei seu reipublicæ Christianæ, quæ tanti ponderis esse possunt, ut Princeps Christianus obligetur damna politica suæ reipublicæ bonæ Ecclesiæ seu fidei postponere.

63.
Non sufficit
pro causa
belli, am-
pliatio fi-
nium, aut
fama celo-
britas.

Absurda verò & planè contraria rationi est, & tamquam talis reprobat ab *Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 74.* existimatio illorum, præsertim Gentilium, qui jura regionum in armis posita crediderunt, licereque bellum pro famæ celebritate, & ampliatione regnorum: id enim non fit sine manifestissima aliorum,

qui inciduntur, injuria. Unde *Augustinus 4. de Civit. c. 6.* rectissime dixit: *Inferre bellum finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos sibi non molestos solâ regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est?*

Huc etiam spectat ratio invidiæ, cuius stimulis excitati Principes inferre interdum præsumunt bellum potentiori, ne hic superemineat aut ut deprimatur. Item etiam spectat alia ratio status, seu potius Machiavellicæ in bello gerendo, imminutio scilicet potentia vicini Principis, ne eâ nimium excrecente, ipse quandoque fortè noceat: prout ex consideratione politica Rebuspublicis ingrata solet esse potentia Monarcharum, quos potius vellent in quodam æquilibrium contineri, ne quando ipsas opprimi contingat. Ratio est: quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; malum autem est, innoxie possidentem bona vexare per bella adeo plena incommodis quasi irreparabilibus, solo hujusmodi prætextu. Alias quoque mundus totus continuis bellis est simili prætextu (qui facile præsumitur subesse) posset ardere. Daretur insuper citra ignorantiam bellum utrimque justum: cum indubie hujusmodi invadentes posset invasus justissime repellere. Quare non restat principium, e quo talia deduci possint, nisi atheum istud: *Quidquid apparet de re status mei licet, quantumvis inde alii innocentes, & quavis patiantur.* Unde æquè vel potius illicitum est, hujusmodi prætextibus subditos ad rebellionem incitare, aut rebelliones fovere.

Petes I. An possit dari bellum utrimque justum? Resp. Neg. re ipsa & materialiter loquendo, seu seclusâ ignorantia quæ posset utrimque efficere bonam fidem & excusare à formali peccato injustitiæ. Et videtur satis per se patere rem confidenti. Videtur tamen divinitus posse dari bellum utrimque justum, si videlicet Deus tamquam superior Dominus daret licentiam aut præceptum aliquam nationem bello impetendi, & simul daret populo invadendo facultatem se pro viribus defendendi. In hoc enim non apparet ulla repugnantia.

Petes II. Qualiter constare debeat de justitia causæ seu belli? Resp. cum bellum sit res tam extraordinariis incommodis, tantique sanguinis, præsertim Christiani, & innoxii, effusioni obnoxia, indubie examinandum esse seriò à Præcipe, & iis, quos in consilium adlegerit, an sub sit causa belli; immo eâ suppositâ, an expediat indici præviâ semper postulatione justæ satisfactionis. Manente autem dubio præsertim in materia injuriarum, nequit indubie bellum justè indici.

64.
Non inju-
dia contra
potentem,
aut eju, ne
quando for-
te noceret,
suppreffio.

65.
Bellum ut-
rimque ju-
stum ex
dabile.

66.
Qualiter
examinan-
da justitia
belli.

At si

67. At sit dubium, rationale seu contro-
 versia facto examine maneat de jure re-
 gni, si quidem alter sit in possessione pa-
 cifica, non potest per bellum inde detur-
 bari. Sed per nuntios eorum debet ratio
 dubii proponi, & examen unà cum deci-
 sione causæ, aut rationabilis concordia po-
 stulari. Quod si reuatur possessor, inju-
 riam facit, potestque per Principem su-
 premum bello impeti. Si neuter sit in pos-
 sessione, & quæstio sit inter Principes su-
 premos, non potest unus Princeps pro se
 & sua opinione sententiam ferre, & bello
 exequi, regnumque occupare (quod quid
 Nonnulli dicant, quorum doctrinam ne
 probabilem quidem credit *Poncius d. 32. in
 Comment. n. 75.*) quod quidem pari ratio-
 ne faceret alter Princeps, æqualiter pro
 iudice agnoscendus, sique forent duæ sen-
 tentiæ contrariæ justæ, & executioni si-
 mul mandandæ, utique singulæ tantum
 pro parte, aut certè æquitas alterutrius
 majoritate virium erit probanda.

68. Ratio itaque dicat iniri aliam viam,
 videlicet vel divisionis pro rata probabi-
 litatis, aut compensationis, si res non
 patiat divisionem; aut certè si hæc via
 litigantibus non placeat, standum erit ju-
 dicio arbitratorum indifferentium utrimque
 nominandorum, aut potius (si non sit ra-
 tio suscipiendi) iudicio ipsius regni, pœ-
 nes quod originaliter refert iudicium de
 controversijs regnum spectantibus, cense-
 ri que potest hoc in institutione Monarchiæ
 reservatum. Quemadmodum etiam accen-
 dente dubio inter duos se pro Pontifice ge-
 rentes Ecclesia decidit controversiam. Fer-
 turque hic postremus modus tempore S.
 Vicerii Leyrenensis servatus in regno
 Aragoniæ, ortâ ibidem de successione con-
 troversia.

69. Ceteri verò, uti non possunt, sic nec
 tenentur scire aut examinare omnes cau-
 sas belli; quas etiam sæpe non expedit om-
 nibus popolari. Unde ordinarij subditi
 militiæ nomen dare volentes solent, dum
 non occurrit ratio eis dubitandi, resolve-
 re, credentes Principem & Consiliarios,
 utpote viros prudentes & probos, non sine
 sufficienti titulo (qui etiam sæpe rudiori
 modo solet spargi) bellum fore indicturos.

70. Magis autem id sufficit pro ijs, qui iussu
 Principis militare coguntur, aut jam an-
 tea erant stipendiarii: in his enim est spe-
 cialis titulus obedientiæ, quo adstringun-
 tur præceptum Principis adimplere, quan-
 do non constat de iniquitate: quemadmo-
 dum ministri iustitiæ (quales sunt etiam
 milites) possunt & tenentur exequi sen-
 tentiam iudicis sine alio examine, dummo-
 do non cõstet esse injustam. Accedit Prin-
 cipem esse in possessione mandandi, & pro-
 eo, dummodo non constet de contrario,
 esse præsumendum. Unde idem videtur a-
 pertè docere *Augustinus l. 22. contra Fau-
 Herincx Sum. Theol. Pars III.*

sum c. 75. dicens, quod vir iustus, si forte
 sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè
 possit illo iussu bellare, civica pacis ordinem
 servans: cui quod iubet, vel non esse contra
 Dei præceptum, certum est, vel utrum sit,
 certum non est, ita ut fortasse reum regem
 faciat iniquitas imperandi, innocentem au-
 tem militem ostendat ordo servientis. Ubi vi-
 detur etiam loqui de casu, quo dubia est
 militi iustitia belli.

Qui autem injurius militat, & de iusti-
 tiæ belli dubius hæret, indubiè nequit mi-
 litiæ nomen dare; sed debet partem tutio-
 rem amplecti, donec motivis belli melius
 indagatis, se prudenter resolvere possit.
 Quod à fortiori locum habet in extraneis,
 quibus plurimum Sententiæ ad elocandum
 operas suas in militia necesse est indagare
 causas belli, ut inde eliciant iudicium pruden-
 s, cui se conforment. Verùm *Vasquez*
 & alii non distinguunt inter subditos &
 extraneos, secluso præcepto, adèd ut si
 possint isti citra aliud examen militare, cre-
 dentes resolutioni Principis vel regni (nisi
 adsint specialia aut vehementia iudicia &
 suspiciones iniustitiæ) etiam hi idem ex
 eodem fundamento resolvere & agere pos-
 sint. Affectus nihilominus facilè inclinât
 subditos magis quàm extraneos in favorem
 sui Principis, cui etiam & propriæ reipu-
 blicæ propugnandæ magis adstringuntur,
 quàm extranei. Nec possunt à culpa gra-
 vi excusari, & consequenter stante tali
 propositione nequeunt absolvi, qui custi-
 bet pro stipendio sunt militare parati, qua-
 lecumque bellum sit.

Petes III. An liceat Infideles in auxi-
 lium vocare, vel eisdem in bellis subsidium
 præbere? Resp. neutrum apparere genera-
 liter & per se loquendo malum. Quare et-
 iam Machabæi cum Romanis & Spartiatis
 inierunt reciprocum fœdus *1. Machab. 8.
 12. & 14.* Et *Jonathas c. 11.* misit Regi
 infideli Demetrij tria milia militum in au-
 xilium. Prout etiam militare sub infideli-
 bus Principibus non est generatim illicitum,
 uti exempla legionis Thebæorum,
 & aliorum militum Christianorum decla-
 rant.

Verumtamen possunt prædicta admo-
 dum frequenter esse illicita. In primis, si
 (quod frequens est, hodieque experientiâ
 notum) infidelium auxiliares copiæ præ-
 videantur nimium grassaturæ contra Ec-
 clesias, loca sacra, personas Deo dicatas,
 innocentes &c. Secundò si subsidium præ-
 stetur hæreticis aut infidelibus in bello in-
 iusto, vel eversivo fidei Catholice: quale
 erat bellum Statuum Belgii confœderato-
 rum contra Regem suum legitimum, ante
 eorumdem ab Regis obedientia emancipa-
 tionem per fœdus pacis. Quid enim fœdus
 esse potest, quàm armorum Christianorum
 subsidij opprimi Christianos seu Catholicos
 in exercitijs fidei & religionis, templa
 vastari,

Quid agen-
 dum in du-
 bio de jure
 regni ab
 alio possesse.

Quid si
 neuter sit
 in possessio-
 ne.

Rationabi-
 lior dicendi
 modus ex-
 plicatur.

Quale
 examen
 competat
 subditis mi-
 litare vo-
 luntibus.

An iustis-
 sis constri-
 ngat.

71. Dubius de
 iustitia non
 potest in-
 iustus mili-
 tare.

An inter
 subditos &
 extraneos
 distinguen-
 dum.

Quid cen-
 sendum de
 paratis ad
 omnem mi-
 litiæ.

72. Infidelibus
 auxiliari
 vel eorum
 auxilium
 præbere an
 liceat.

73. Quando
 non liceat.

vastari, & fallarum sectarum exercitijs impendi, altaria destrui, Sacerdotes & Religiosos exulare, Monasteria extirpari, bona Ecclesiastica occupari, pias foundationes everti, in locis, in quibus antea semper & solum viguit Christi vera religio, plantari Synagogam satanae &c? Neque est locus diabolico effugio petito ex materia status politici; qui divino, salutis, iustitiae & religionis statui postponendus est. Neque etiam iuvat effugium ex parte intentionis petitem, quasi Catholicus ista non intendat, nec attendere debeat, adeoque per accidens huiusmodi effectus se habeant. Intentio enim diverti nequit ab eo, quod (ut oculis nostris vidimus, aliis vix credituri) infallibiliter connexum est, & quasi ante omnia fit, ac executioni mandatur ex intentione eorum qui bellum indicunt eique praesunt adeo ut si ulquam effectus censeatur moraliter consequi per se, & non per accidens, certè id contingat in isto casu; aliàs nullum foret bellum religionis, quin huiusmodi praetextus obduci posset. Quin immo Status ipse politicus praefatorum Confederatorum apparet à principio rebellionis fundatus super novitate religionis, veluti oportuna firmandæ eidem rebellionis contra proprium Regem Catholicæ fidei pugilem. Ut modò nil tangam de evidenti iniustitia ejusdem belli. Videri possunt, quæ fusè tractantur in opere intitolato *Mars Gallicus lib. 2.* Quare etiam milites in tali bello militantes non sunt in statu salutis. Nec favet opposito abusu factum Davidis, qui Saule illum persequente fugit ad Achis Regem Geth. Nam non pugnavit umquam pro Philistæis contra Israëlitas; etsi regem in hoc deluserit: ut patet Scripturæ textum inspicienti *1. Reg. 27. & 29.* Tertio, non est legitimum militare sub infidelibus sive hæreticis; etiam in bello politico & iusto, cum presenti seu morali periculo salutis & peccatorum mortalium; quale frequens est, defectu exercitiorum fidei, vel Ministri Sacramentorum in castris, ratione commerciorum periculorum cum infidelibus &c.

Conditio postrema liciti belli statuitur recta intentio, quæ respicit pacem publicam obtinendam & stabiliendam, atque adeo reipublicæ bonum. Nam (ut dixit *Augustinus Epist. 205. ad Bonifacium*) pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. Et *l. 22. contra Faustum c. 76.* Quid enim (inquit) culpatur in bello? An quia moriuntur quando moriuntur, ut domentur in pace victuri? Dein subjicit motiva culpanda belli: *Nocendi cupiditas ulciscendi, crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia: hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.* Si tamen aliunde subsit justus belli titulus, debitaque belligerandi auctoritas, prava intentio vitiat qui-

dem pro sua qualitate operis, non tamen reddet operantem restitutioni obnoxium; salvo semper, quòd ex moderantia passionis Principis plebs ei subiecta (cujus bono & indemnitati tenetur ex officio prospicere) non exponatur damnis haud necessarijs.

Petes, an stantibus legitimi belli conditionibus liceat cuilibet militare? Resp. Aff. si per ætatem & vires liceat, nec specialiter alicui sit interdicitum. Prout interdicitum est Monachis *c. Eos qui 20. qu. 3.* (quod est Concilii Chalcedonensis) Et clericis *eod. cap. Item c. Quicumque Clericus & c. Clerici & c. Quicumque ex clero 23. q. 8.* quæ etsi non sint ex Conciliis generalibus desumpta, tamen hac in parte sunt usui Ecclesiæ recepta. Et *c. Sententiam, ne Clerici vel Monachi prohibetur clericis copijs militaribus præpor.* Idem supponitur *c. Ex multa §. fin. de voto.* Ratio est: quia prædicti sunt divino obsequio specialiter mancipati; à quo retrahit non parum militia secularis. Unde eis aptari potest illud Apostoli. *2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Ministris quoque præsertim propinquioribus, altaris congruit mansuetudo & lenitas, in Agno Dei (cujus occisio in Missa representatur) adeò patenter exhibita; unde altaris ministerio dicati meritò remouentur à sanguinario (ut sic dicam) officio: maxime cum ipse sanctus David propterea fuerit prohibitus ab ædificatione templi, Salomoni pacifico reservatâ.

Præfati itaque non possunt citra dispensationem legitimam propriâ manu pugnare, milites ducere, aciem instructam, tormenta in hostes dirigere, eade dirigentibus præesse. Et quidem ex gravitate materiae, & poenarum clericis transgressoribus inflictarum quibusdam Canonibus citatis, constat culpæ gravitas. Quamvis non sit eis interdicitum, etiam citra specialem licentiam Episcopi (Religiosis necessaria est licentia juxta formam obedientiæ religiosæ) ministrare ad celebranda divina, ministranda cum debita facultate seu jurisdictione Sacramenta, assistendum infirmis, excitandos milites in generali ad fortiter dimicandum, non obstante *c. Quod in dubijs, de poenis*, ubi est sermo juxta Glossam de pugna injusta, vel (ut aliqui addunt) de incitatione ad occidendum, quem in particulari. Alioquin excusante in generali licitum est ex communi sensu Doctorum & praxi, & colligi solet ex *c. Omni timore. c. Hortatu. & c. Præterea 23. q. 8.* Si quæ aliâ licentia particularis Prælati olim fuerit clericis necessaria (ut Nonnulli putant ex *c. Reprehensibile & c. Quo an su 23. qu. 8.* sed non satis solidè) saltem hodie consuetudo contrarium præscripsit. Quando autem citra periculum irregularitatis licitum sit clericis in bello pugnare.

David sub rege Achis non pugnavit contra Israëlitas.

74. Recta intentio quæ ad bellandum requiritur.

75. Inhibendum est Clericis militare.

Congruentia quæ prohibendum.

76. Specificandum est in clericis in bello.

re. Vide P. 2. *Tract. de Legibus* art. 6. qu. 7. §. 8.

77. De quibus Clericis Canones loquantur aut intelligantur.

Canones autem, et si generali vocabulo Clericorum utantur, immo *Sententiam* immediatè addatur interdictum chirurgiæ cum incisione vel aduisione, expressis solum Ordinibus sacris (quod non satis aduertit *Arriaga d. 48. sect. 5.* cujus idcirco discursus ibidem factus ruit) *Covarruvias, Lorca & alii Doctores* passim intelligunt de Clericis constitutis in sacris, saltem attentâ consuetudine. Quæ faciliè admitterentur in ijs, qui vel sæculares vivunt, non gaudentes privilegio clericali, aut statum clericalem derelinquunt, ut si ducerent uxores, vel assumerent officium *Pætoris*. Alii tamen, præsertim beneficiati, privilegijs clericorum gaudentes, & instar Clericorum haberi volentes, variorum Doctorum judicio peccant, saltem venialiter, ob remotam conjunctionem cum altaris ministerio. Et planè congruentia idem postulat talibus militaria officia interdici.

78. Clerici, simul Principes, possunt in causis sanguinis per iudices delegatos justitiam administrare c. *Episcopus, Ne Clerici vel Monachi* in 6. sic & bellum justum indicere, & per duces gerere.

Nihilominus Episcopi & Clerici, qui simul sunt supremi Principes, uti possunt in causis sanguinis per iudices delegatos justitiam administrare c. *Episcopus, Ne Clerici vel Monachi* in 6. sic & bellum justum indicere, & per duces gerere.

§. III.

De Modo Observando in Gerendo Bello.

79. Ad quod obligentur Principes in bello.

IN primis Princeps est ex officio obligatus providere militiæ de idoneis Præfectis & Officialibus, secus agendo est causa malorum & damnorum, quæ plerumque gravissima ex inexpertis ac inidoneis præfectis exercitui ac republicæ eveniunt. Tenetur etiam vi contractus providere præfectis & militibus de stipendio, terminis elapsis. Secus agendo peccat contra justitiam, estque causa damnorum, quæ ex necessitate inopia patiuntur, aut alijs inferunt.

80. Ad quid præfecti & milites.

Præfectorum belli & militum communis obligatio respectu Principis & republicæ est fidelitatis in custodiendo pacto, quantum ad observantiam secretorum, abstinentiam à prodicione, protectionem & conservationem bonorum & dominiorum republicæ pro viribus, evitacionem damnorum, etiam privativorum, ne videlicet sint in causa, cur bonum notabile non sit obtentum, stratagema non habuerit suum effectum: item quoad observacionem suæ stationis, etiam cum periculo vitæ; quoad remanionem in militia, sic ut (nisi adsit causa per accidens excusans) citra licentiam non deferatur. Milites insuper obligantur ad obedientiam militarem suis præfectis, præfecti inferiores superioribus, omnes autem Principi.

Præterea tam Præfecti, quàm milites ex justitia obligantur servare regulam militibus vianis inquisitibus declaratam per Joannem Baptistam *Luca 3. Neminem concuriatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.* Respectu denique hostium tenentur in dubiè servare promissam fidem, legesque charitatis & mansuetudinis Christianæ, salvo jure & fine belli.

Ex his similibusve obligationibus resultat interminabilis seges peccatorum, quæ in militia, præsertim hodierna, frequenter committuntur. Onissis autem peccatis libidinum omnigenarum, rixarum, duellorum, ebrietatum, fortilegiorum, blasphemiarum & similibus omnis generis peccatorum, quæ ibi abundare solent, radicale velut peccatum militiæ videtur defectus solutionis stipendiorum, unde fit non servari disciplinam militarem, sed omnia furtiva, sacrilegia, rapinas, extorsiones, incendia, latrocinia, & alia nefanda quasi impunè fieri. Quomodo igitur salvari possunt, quorum culpa stipendia solvi dum possunt (an possint, conscientijs superintendentium, divinoque judicio committendum) non solvuntur, quique proinde tot malorum sunt cause, ego non video; credo, quòd nec Deus ipse: sunt enim tales indubiè ituri in profundum inferni, pejus autem agunt, qui pecuniam familiæ augendæ aut alijs extravagantibus impendunt, militibus mendicare aut furari compulsos.

81. Quanam peccata in militia occurrant.

Quia defectus radicalis.

Peccant similiter Præfecti contra justitiam, qui in lustratione militum plures milites fictos supponunt; uti & alii huic fraudi cooperantes, & lustratores dissimulantes. Nec excusat titulus occultæ compensationis si Princeps sit eis debitor, ob periculum gravissimorum damnorum ex fraude hac occurrentium, dum à parte rei est numerus longè inferior, & insufficiens finibus belli, qui in tabulis circumfertur multò amplior. Peccant similiter contra justitiam, si dum alicubi hospitari debent cum milite suo, loca vicina suspensa tentent, ut pondus pecuniarum extorqueant ab hospitiis redempturis (quorum utique electio non potest ab eis fieri venalis) & alia loca deligunt in notabile sæpe eorumdem gravamen. Item quando expensas exigunt pro numero longè majori, sedulas & loca mortua cum proportione multiplicantes; nisi quandoque adsit rationabilis consensus Principis defectum stipendii ita suppletis. Quando sive præfecti sive milites rusticos & hospites suos injuriosè tractant, contundunt, pecunias extorquent, non contenti ijs, quæ jure aut consuetudine ordinarii hospitii eis debentur.

82. Quæ peccata Præfectorum.

Qui peccant milites circa rusticos & hospites.

Neque excusat defectus solutionis stipendii: tum quia illum supplere nullo juris colore debent rustici aut hospites, tum quia sæpe triplicatum, immo octuplicatum stipendium

83. Excusatio ex carentia stipendii perita discutitur.

pendium seu valorem illius injuriosissime extorquent, & quidem à miserioribus, expendendum deinde in luxus & vanitates. Secus foret, si in extremam vel valde gravem necessitatem defectu stipendii conjuncti sive conjiciendi (quibus succurri specialiter congruit) providerent sibi ab his & illis modo meliori, quo possunt, sobriè ad necessitatem sufficientia, eaque parèe expendere; aut si ex urbanitate, gratitudine ratione, scilicet alterius officii præstiti, similive honesto titulo aliqua exigerent aut acciperent, etiam extra necessitatem.

Plura alia sunt peccata militum, & personarum ad militiam spectantium, ut Vivendiariorum seu annonam præbentium, & similibus, quæ propius insipienti proxim militarem satis patent. Videri potest *Marchant Tom. 3. P. 2. Tr. 6.* per totum. Ex quibus luce clarius est, vitam militarem (qualis visa fuit hisce temporibus) esse periculosissimam in negotio salutis.

In ipso verò belli progressu, atque etiam partâ victoriâ, generaliter loquendo ex communi Doctorum sententia, omnia illa licent Principi justum bellum gerenti aut justo victori, & ex ejus voluntate belli ducibus ac militibus, quæ aliquo modo necessaria sunt aut convenientia ad justum finem belli consequendum, scilicet ad reparandas injurias ac damna, & ad firmandam pacem & securitatem. Unde licet hostium bona usurpare, agros vastare, arces occupare, tributa imponere &c. si judicentur idonea ad prædictos fines. Similiter licet adhibere insidias & stratagemata bellica, exemplo Josue c. 8. ubi idem tradit *Augustinus quest. 10. in Josue*; hæc enim consistunt in eo, quod præoccupetur hostis, dissimulando coram eo intentionem & occultando veritatem, ac permittendo deceptionem: si autem adsit intentio fallendi, aut mendacium, erit veniale & officiosum. Unde hoc sensu verum est istud Poëtæ: *Dolus (supple bonus) ad virtutem, quis in hoste requirat.*

Præterea possunt nocentes occidi, tum in ipso congressu, tum (quando id esset æquum in poenam peccati, terrorem aliorum, aut justam satisfactionem) postea, etsi se dediderint victori, nisi fortè sub promissione vitæ servandæ se tradiderint: standum enim est pactis. Plerumque tamen parcendum est multitudini, capitibus iniquitatis (ubi visum fuerit) in exemplum propositis, quia alterum nimis saperet crudelitatem; & cederet frequenter in detrimentum publicum.

Innocentes verò directè (aliud est de indirecta occisione, quæ per accidens, & præter intentionem sequitur ex directa invasione civitatis & nocentium) occidi numquam possunt juxta Doctores communiter. Estque manifestum *Sylvio q. 40. a. 1. Questio 6. Conclus. 2.* quidquid dicat

Poncius d. 32. in Comment. n. 84. Generale enim est illud *Exodi 23. Infontem & justum non occides.* Unde nec pro culpa parentum filij possunt occidi. Quare non juvat, quod sint partes reipublicæ nocentis: non enim potest hæc puniri in partibus innocentibus, nisi secundum id quod subest aliquo modo dominio vel potestati reipublicæ, prout non subest vita innocentis. Unde parvuli Turcarum non possunt licitè occidi. Ideoque ob cædem innocentem Thessalonice factam Ambrosius ab ingressu Ecclesiæ Theodosium prohibuit. Nec refert, quod aliquando Israelitæ victores occiderint etiam parvulos: nam aderat tunc expressa jussio Dei omnium Domini; quæ modò non adest, immo adest jussio contraria.

Nomine autem innocentium intelliguntur infantes, pueri, senes ad arma inidonei, Ecclesiastici, religiosi, legati, peregrini, mulieres (nisi fortè de quibusdam constaret, quod in bello juverint) & similes. Bona tamen innocentium, quantum necesse ad supradictos fines, potest Princeps occupare. Excipiuntur à Doctoribus (vereor ne non ita à militibus) bona Ecclesiæ & Ecclesiasticorum innocentium inter Christianos, etsi civitas daretur in prædam (quod fieri regulariter non dect) tum propter specialem exemptionem, tum quia censetur constituere corpus particulare, distinctum à populo hostili. Liceret tamen bona Ecclesiastica expugnare, si illis ut propugnaculis hostes utantur, neque aliter debellari possint.

Mobilia bello capta fiunt jure Gentium occupantis (nisi fortè aliquam distribuendi formam exigat specialis lex vel usis nationis) etsi excedat compensationem damnorum: ut habetur *Instit. de rerum Divisione §. 18. & L. Si quid bello 28. ff. de captivis.*

Libertate quoque non minus quam vitæ exui possunt hostes, exigente id vindictâ seu recompensatione injuriarum & damnorum, prout etiam *L. Si quid bello, & ceteris* alijs juribus habetur. Quod Varii extempuntur *Victoria, Valentia, Azorio* & alijs, ad innocentes, qui sunt pars reipublicæ hostilis, ex consuetudine jure Gentium introductâ, & quæ censetur libertas inter bona fortunæ. Inter Christianos autem generaliter est præscriptum, ut quicumque ex ijs capti bello non possint effici mancipia, quamvis possint justè detineri, ut puniantur, si nocentes sint, & lytro redimantur. Quod eadem consuetudo extenditur ad hæreticos, nomine Christianos.

Petes, an peris tempore licitæ sint reprefalix, seu impignorationes? hoc nomine intelligitur occupatio bonorum pertinentium ad subditos alterius reipublicæ aut civitatis amicæ, in pignus satisfactionis debite

84. *Quæ licent in belli progressu & post victoriam.*

De insidijs bellicis.

85. *An possint occidi nocentes.*

86. *An etiam innocentes.*

Qui nomine innocentium intelligantur.

87. *Bona eorum, quæ excipiuntur à Doctoribus an prædam expostis.*

88. *Mobilia bello capta cuius sint.*

89. *An hostes possint subici capivitatis, etiam inter gentes & Christianos.*

90. *An reprefalix sint licita.*

debita pro dampnis, quae reipublica innocens in se aut cive suo ab alterius subditis perpeffa est. Communis sententia contra *Lorca d. 52. n. 15.* asserit esse licitas, etiam respectu innocentium, quando alioquin commodâ ratione nequit compensatio obtineri: quemadmodum ratione delicti alterius reipublicae solent arrestari merces subditorum eiusdem, & tempore belli pro satisfactione possunt occupari bona etiam innocentium, qui sunt pars reipublicae nocentis.

91. Quae conditiones requirantur.

Requiruntur tamen sequentes conditiones, scilicet ut aperte de gravi damnificatione constet, adit concessio Principis, superior reipublicae nocentis minus nolite seu negligat procurare damnorum reparationem, nec plus damni inferatur reipublicae nocenti, quam sit necesse ad plenam satisfactionem, ac denique non concedatur in personas Ecclesiasticas innocentes, quae sunt exempta adiecta in contrahentes poenâ excommunicationis c. *Unico. de iniuriis in 6.*

Iura in contrarium allegari solita explicantur.

Ad iura opposita sic responderi solet. Ad *Novellam 52. c. 1.* interdicti ibi pignorationes inter membra subiecta eidem Principi, & quidem sine ejus licentia. Quâ ratione etiam contra aequitatem est, unum pro alterius debito molestari, quod ibidem & *L. un. Cod. Ut nullus ex oscaneis improbat; secus si sint conditiones praefatae.*

QUAESTIO VI.

De Duello.

92. Quid duellum.

DUELLO (quod & Monomachia dicitur) proprie est pugna duorum (interdum singuli assumunt secundum, ut vocant) ex conditio utrimque suscepta ad certum locum & tempus cum periculo occisionis. Unde in hoc est simile rixae, quod etiam rixa consistat inter duos vel paucos utrimque: differt autem in eo, quod rixa fiat subito & circumscriptum, & calore iracundiae aliave passione. Abest etiam semper à rixa auctoritas publica, quae posset in duello aliquando intervenire. Duellum porro aliud dicitur solemnne, quod nempe cum certis solemnitatibus, dato loco & fide securitatis ei qui socium occiderit, & adhibitis sponsoribus, quos patrilinos vocant: aliud privatum (quod alio nomine dissidatio vocatur) carens scilicet solemnitatibus.

Aliud est solemnne, aliud privatum.

93.

Damnati ad mortem an iusti à principe duello licitè occiderent.

Duellum suscipitur ob varias causas seu fines, estque ferè semper illicitum, ut specificando singulas causas patebit. Primò itaque posset Princeps duobus ad mortem damnatis concedere, ut duello concertent, sintque in se invicem ministri iustitiae; qui quidem licitè decertarent, praesertim si uni spes vitae promittatur: quamquam

non sit duellum ordinarium, ex mutuo scilicet conditio initum, sed potius executio iustae sententiae. Superior quoque incongruè talem modum exequendi sententiam iustam usurparet, non sine periculo animae decertantium.

Secundò (estque casus raris) ad terminationem belli iusti posset Princeps convenire de pugna duorum aut paucorum certo utrimque numero, dummodo victoriam non reddat per hoc magis dubiam, quam deveniendo ad praelium universale, cum praedictio reipublicae; prout non facit, si v.g. videat se inferiorem viribus, & succubiturum. Non est enim ratio, cur talis pugna minus liceat, in qua parcutur multitudini, quam pugna generalis ex conditio ineunda. Idem videtur de velitatione, aut pugna inter paucos etiam ex conditio (qualis nostro tempore solemnne fuit circa *Silvamdudis* inter milites Regis & Statuum Confederatorum) ad reprimendos animositates & impetus hostiles, & auferendos aliquos singula inter noxios. Sic etiam David licitè, etiam praescindendo specialem instinctum divinum (quamvis alioquin ex hoc quoque potuisset exculari) singulare inivit certamen contra Goliath.

94. An liceat duellum ad terminationem belli.

An reprimendos in eo impetus hostiles.

95. An ad vitam defensionem liceat.

Tertiò duellum potest suscipi ad vitam defensionem, v.g. si inimicus armatus inermem inveniens velit eum occidere, nisi arma sumat, & secum in duello pugnet, tunc quando non est alia evadendi via, potest juxta Doctores passim suscipi, immo & offerri duellum; eò quod in re ipsa videatur iusta defensio. Eademque videtur Doctoribus multis (nec improbabili-ter juxta *Wiggers q. 41. art. 1. n. 18.*) ratio de invasione fortunarum, pro qua licitum est duellum, cum alia ratio non suppetit; supposito videlicet quod alioquin licitum sit occidere in valorem ad necessariam defensionem talium bonorum, de quo *Tract. de virtut. Cardinalibus.*

Quartò suscipi potest pro ostentatione virium vel artis gladiatoriae; aut ad spectaculum oblectationem (qualia olim erant duella gladiatorum in amphitheatris apud Romanos, quae ita homines fascinarunt, & aliquamdiu etiam tempore Christianorum Imperatorum, etsi à Constantino interdicta, perseverarunt) vel ad vindictam. Estque indubiè illicitum, partim contra charitatem sic prodigendo vitam aut periculo exponendo citra causam, partim contra iustitiam occidendo innocentem aut non condemnatum, vel occidendi illum periculo se exponere; quod ne quidem Magistratus (sine cujus auctoritate etiam illicita esset vindicta privata) concedere potest. Et quamvis ipse injuriantem condemnasset, talis tamen sententiae executio esset illicita, veluti conjuncta periculo homicidii innocentis; qui etiam illicitè sic prodigeret vitam suam.

96. Duella gladiatorum illicita.

Quintò

97.
Similiter
assumpta ad
probationem
vel
purgationem
crimini-

Quintò juxta Doctores communiter illicitum est duellum, quod ad probandum, vel è contrà ad purgandum crimen suscipitur: tum propter canones c. 1. de Purgat. vulgari c. Henricus presbyter, de Clericis pugnantibus in duello. c. Monomachia 2. q. 4. tum quia est medium ad veritatem indagandum inidoneum, immo junctum tentationi Dei; cum æquè possit innocens, ac nocens occidi: tum quia accusatio etiam injusta non est sufficiens causa homicidii, adeoque nec duelli: tum quia est contra charitatem propriam.

98.
An licitum
sit in casu
injuria ac-
cusationis,
ex qua cer-
tò sequetur
mors.

Sed quaeritur, quid dicendum, si certò sit ad mortem damnandus innocens ex injusta accusatione, praesertim si accusator ipse duellum offerat, sitque ad eò spes aliqua evadendi? Plures gravissimi Theologi (inter quos referuntur *Lyranus*, *Navarrus* & alii) asserunt licere, praesertim approbante vel mandante Principe. Sed negat *Sylvester*, *Soto*, *Malderus*, *Snarez* & alii. Et quidem si citra licentiam Principis suscipiatur, non poterit esse utile; cum supposita victoriâ, potius sit augendum, quam eluendum delictum in foro externo. Difficile etiam & malè consequentiâ apparet posse occidi eum, qui non invadit propriè vitam, seu qui ei violentiam non infert, sed aliquem solis calumniis obruit, quæ veritatis ostensionè debent propullari, aliàs patienter tolerari. Alioquin etiam falsis delationibus inhians bonis fortunæ proximi poterit occidi, si possit occidi raptor & fur. Quod sanè foret radix infinitarum confusionum, nec impunè à Republica toleraretur. Unde saltem in praxi opposita doctrina non videtur probanda. Principis quoque seu Magistratus licentia non posset prodesse in casu, quo sine illa non foret justa & licita vitæ propriæ contra aggressorem defensio. Confirmatur: quia vel ei secundum ordinem juris constat innocentia accusati; qui consequenter debet citra duellum & periculum vitæ in eodem absolvi, uti & si non satis probetur nocentia: vel constat sufficienter delictum, & tunc est puniendus potestate publicâ; ac insuper in duello exponeret tunc periculo vitæ accusatorem legitimum & justum quantum ei constat ex ordine juris. Immo etsi judex ex privata scientia, nosset hunc esse calumniatorem, adhuc non posset ea condemnare, aut vitam illius non condemnari sic exponere.

99.
An prae-
textu defende-
di honoris
licitè duel-
lum susci-
piatur.

Sextò duellum suscipi solet praetextu defendendi honorem. Estque casus iste ordinarius inter personas nobiles & militares. Nec dubium est, quin sit illicitum ex parte offerentis seu provocantis: qui apertè agit personam privatam se vindicantis aut occidere injustè satagentis. Ex parte verò acceptantis difficultas moveri posset, eò quòd valde ignominiosum vulgò habeatur, si nobilis aut miles provoca-

tus ad duellum, suscipere illud recuset. Quare hæc causa videtur aliquibus sufficiens; ut tacito Auctorem nomine refert *Bannez quest. 64. art. 7. dub. 3. Castro Palao d. 5. punc. 7. n. 8.* etiam contrarium tenens. Quibus ex parte accedit *Marchant To. 2. Tract. 6. Tit. 3. q. 1. §. 5. dub. 2.* agens de casu, quo officium, militiam, vel gradum deserere ob infamiam aliàs quis deberet cum gravissimo detrimento proprio aut familiæ.

Nihilominus communis Doctorum sententia (quam ut veriore amplectitur *Bassanius de Duellum n. 6.*) etiam acceptantem condemnat: eò quòd renuere duellum divinis & humanis legibus prohibitum non sit verè, & apud prudentes ignominiosum, neque sufficiens ignaviæ signum, quin potius honorificum, & è contrà ipsi duellum inire est ignominiosum apud probos, & reddit duellantes ipso jure infames. Postestque provocatus, ut ostendat se non esse ignavum, respondere, se paratum fore ad defensionem sui more generosi viri, ubi & quandocumque invalus fuerit, nolle tamen acceptare iniquam provocationem, divinis & humanis legibus repugnantem. Quemadmodum non posset respondere provocanti ad æquales haustus, aut aliam rem malam, esto apud perditos homines idcirco haberetur derisui. Et si evadere hoc malum nequeat, potius habere debet patientiam, quam peccare in Deum. Unde etiam tales puniuntur poenis duellantium, & ratione praesentissimi periculi aeternæ damnationis gravissimè Deum offendunt. Estque adeo (ut gravissimè dixit *Tridentinum sess. 25. c. 19. de Reform.*) *desestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.*

Debent autem Principes hujusmodi personas protegere, & ab usibus his diabolicis obviare; prout præ aliis fecere Principes Belgii *Albertus* & *Isabella* edicto sæpius repetito caventes, ne quis alterum provocet ad duellum, sive interditiones, sive foras; verbotenus aut missis libellis: nemo nuntia aut hujusmodi libellos recipiat, sub poena degradationis insignium & nobilitatis, famæ, privationis officiorum, pensionum, ac medietatis bonorum: quòd si qui de facto pugnaverint, seu ad conditum locum devenerint, mortis & confiscationis omnium bonorum. Et quoniam, perique duella ortum habent ex falsa opinione, quasi degenerare timore impediuntur, qui manu sua injurias aut convitia non vindicant; declarant Principes falsam eam esse opinionem, honorem injurias passorum sub suam protectionem recipiunt, & ne quis eis exprobet, sub suæ indignationis & arbitraria poena vetant. Insuper ne quis nuntia aut libellos provocationum deferat, in duellum cunctibus auxilietur quomo-

100.
Communia
sententia
negans de-
fensum.

101.
Edicta
Principum
Belgii con-
tra duellum
et summa
eius recen-
santur.

quomodocumque, aut comitetur, sub capitis poena & honorum; prout videre est apud Zypæum in *Notitia juris Belgici* l. 9. §. De pugnantibus in Duello.

102.
Quæ pæna
Ecclesiastica
contra
duella facta
sunt.

Ecclesia quoque ad hunc abusum ex orbe Christiano exterminandum gravissimas poenas sancivit adversus duella injusta, ac duellantes & consentientes; ut patet ex *Tridentino sup.* Nam primò principes concedentes duellantibus locum securitatis, sunt ipso facto excommunicati. Secundo, si locum aliquem, in quo vel apud quem duellum permittant, ab Ecclesia vel alijs feudi nomine obtinent, privantur jurisdictione & dominio, hocque redit ad dominium directum. Tertio, duellamineutes, & eorum patrini sunt excommunicati, perpetuò infames, & ut homicidæ puniendi, eorumq; bona fisco addicuntur. Quarto, in duello occisi privantur Ecclesiasticâ sepultura. Quinto, qui auxilium vel consilium ad duella dederint, aut ea alicui suaserint, aut spectatores fuerint, excommunicantur. Quod intelligendum non esse de spectatoribus, qui calu illic transeuntes duellum vident, sed ex industria seu composito, & ita ut videantur con-

sensisse aut ad pugnam incitare, adfuit duello, patet ex constitutione *Gregorij XIII. in Bulla 78.* quæ incipit: *Ad tollendam detestabilem*, ubi poenas à Concilio statutas pro duellis solemnibus, extendit etiam ad privata; idque etiam si duellantes pugnam non perfecerint, si per ipsos non steterit. Eandem Constitutionem *Clemens VIII. Constit. Illius vides*, alijs modis extendit, & excommunicationis abolitionem sibi reservat, à qua juxta decretum S. Congregationis Confessarii, etiam regulares, seu aliàs habentes potestatem in casus Papales, qui degunt in Italia extra Urbem, non possunt absolvere. Meritoque hæc Constitutiones sanctissimæ deberent ubivis mandari executioni, earumque viridis observantia procurari.

Varios casus, in quibus non censetur verum duellum subjectum poenis duellantium, adferunt Doctores, præsertim *Cassius* passim; apud quos videri possunt.

Restaret hic quoque agendum de Scandalis (de quo Doctores communiter hinc tractant) nisi de eo *P. 2. Tract. de Peccatis* actum fuisset.



T R A -